Maurice Sebastian Boland, 8

PRAXIS MATRIMONIALIS

AD USUM

PAROCHI ET CONFESSARII

AUCTORE

ALOYSIO DE SMET S. T. L.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

EDITIO ALTERA

AD NORMAM NOVI CODICIS JURIS CANONICI RECOGNITA.

BRUGIS
CAR. BEYAERT, EDITOR
1920

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRAXIS
MATRIMONIALIS

PRAXIS MATRIMONIALIS

AD USUM

PAROCHI ET CONFESSARII

AUCTORE

ALOYSIO DE SMET S. T. L.

EDITIO ALTERA

AD NORMAM NOVI CODICIS JURIS CANONICI RECOGNITA.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

BRUGIS
CAR. BEYAERT, EDITOR
1920

APPROBATIO PRIORIS EDITIONIS

Librum qui inscribitur *Praxis matrimonialis,* auctore A. De Smet, S. T. L., ecclesiae cathedralis Brugensis canonico poenitentiario, tum parochis tum confessariis valido in re intricata subsidio futurum confidimus eumdemque libenter approbamus.

Brugis, 30 Junii 1916.
✠ G.-J. Episc. Brugen.

Denuò imprimatur.
Brugis, 1 Junii 1920.
✠ G.-J. Episc. Brugen.

PRAEFATIO

En opellam, in gratiam parochorum et confessariorum conscriptam, ad hoc ut illis viam ostendat tutò sequendam in tractandis negotiis matrimonialibus, pro variis quae obvia haberi queant adjunctis, ratione habita mutationum per *Codicem juris canonici* introductarum. Normas agendi proponimus ex Tractatu *De sponsalibus et matrimonio* (ed. 3ª, 1920) depromptas, omni argumentatione denudatas, remisso lectore, pro penitiori intellectu et argumentorum notitia, ad respectivos numeros marginales dicti Tractatus, hunc designando per siglum M.

Tribus distincte sectionibus, de munere parochi ac confessarii agimus successivè : 1. ante matrimonium ; 2. in ipsa matrimonii celebratione et 3. post matrimonium contractum ; adnectentes, per modum appendicis, praeter elenchum formularum dispensationis, brevem expositionem principiorum circa vitia dispensationis eorumque sanationem, necnon compendiosum conspectum legislationis civilis circa matrimonium, cum descriptione modi agendi parochi in hoc negotio. Juvat autem notare disciplinae juris communis misceri hinc inde dispositiones juris particularis, in variis dioecesibus Belgii, signanter in dioecesi Brugensi, vigentes ; passim autem relegantur in notis vel minoribus typis excuduntur.

AUCTOR

Brugis, 31 Maii anni Domini 1920.

8973

INDEX RERUM ANALYTICUS

Pag.

Praefatio VII
Index analyticus. IX
Addenda et complenda XV

SECTIO PRIMA

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII ANTE MATRIMONIUM

CAPUT I

De examinandis et instruendis nupturientibus

Art. 1s. De examine instituendo.

Paragr. 1a. De officio parochi :

I. Examen circa doctrinam et scientiam 4
II. Examen circa statum liberum
media adhibenda :
a/ proclamationes bannorum (remissive) . . 5
b/ testimonium baptismi 5
c/ investigatio directa parochi : in communiter contigentibus 5
in specialibus adjunctis. 11
Paragr. 2a. De officio confessarii 16

Art. 2s. De instructione danda.

Paragr. 1a. De officio parochi. 18

Paragr. 2a. De officio confessarii :
instructio circa usum conjugii 22
» circa electionem status 24
» circa varias obligationes. 25

CAPUT II

De officio parochi et confessarii post examen nupturientium

Art. 1s. De officio parochi et confessarii in casu non detecti impedimenti.

Paragr. 1a. De admissione ad sponsalia 28
Paragr. 2a. De bannorum proclamatione 29

Art. 2s. De officio parochi et confessarii in casu detecti impedimenti.

Disputatio 1a. De electione remedii adhibendi. . . 36
Disputatio 2a. De applicando remedio dispensationis. 41

Paragr. 1a. De dispensatione ab ipso parocho vel confessario concedenda.

Punctum I. Potestas dispensandi parochi :
1. quandonam et cum quibusnam dispensare possit 42
2. super quibusnam impedimentis et pro quonam foro 45

Punctum. II. Potestas dispensandi confessarii . . 46

Punctum III. Processus sequendus :
in casu impedimenti fori externi 47
in casu impedimenti fori interni 50
in casu concurrentis impedimenti fori interni cum impedimento fori externi 53

Paragr. 2a. De dispensatione a parocho vel confessario procuranda.

Punctum I. De petitione dispensationis.
1. A quonam recurrendum 54
2. Quò recurrendum 55
3. Quomodo recurrendum :
a/ inserenda in supplica 58
b/ expensae 65
c/ confectio supplicae 67

Punctum II. De officio parochi post acceptam dispensationem :

1. episcopalem :
pro foro externo 70
pro foro interno 72
2. apostolicam :
pro foro externo :
praevia ad fulminationem. . 76
fulminatio 82
pro foro interno 84

Sectio secunda

DE OFFICIO PAROCHI IN IPSA MATRIMONII CELEBRATIONE

Caput I

De officio parochi

Art. 1s. De officio parochi communiter spectato :

§ I. Cujusnam parochi sit assistere matrimonio :
A. Pro valore 89
B. Pro liceitate 90

§ II. Quaenam cautelae praerequirantur servandae . . 92

§ III. Modus celebrandi matrimonium:
A. Formalitates juridicae 94
B. Praescriptiones rituales 96

§ III. Tempus et locus celebrationis 98

Art. 2s. De officio parochi in celebratione matrimonii quorumdam nupturientium :

I. Erga ineuntes matrimonium mixtum 100
II. Erga peccatores publicos 102

Caput II

De officio confessarii. 103

Scholion. De assistentia simplicis sacerdotis 105

SECTIO TERTIA

DE OFFICIO PAROCHI POST CELEBRATIONEM MATRIMONII

CAPUT I

De inscriptione in registro. 106

CAPUT II

De directione danda conjugibus quoad usum matrimonii

Art. 1s. Monita generalia. 111

Art. 2s. Monita specialia:
circa licitam petitionem debiti 113
circa obligationem reddendi debitum 117
circa actus non consummatos et internos. 118
circa onanismum 121

Scholion. De usu matrimonii dubiè validi 128

CAPUT III

De matrimonii validi dissociatione

§ I. De dissociando matrimonio legitimo 129

§ II. De dissociando matrimonio rato non consummato . . . 130

§ III. De matrimonio rato consummato non dissociando quoad vinculum 131
separando quoad torum et cohabitationem 134
separando quoad solum torum 137

CAPUT IV

De tractandis conjugibus valido sed illicito conjugio junctis 138

CAPUT V

De curando matrimonio invalido

Monita praevia 140

Art. 1s. De electione remedii adhibendi. 141

Art. 2s. De applicatione remedii.

Paragr. 1a. De applicandis remediis extraordinariis . . 144

Paragr. 2a. De applicando remedio convalidationis matrimonii.

Praenotanda: de variis convalidationis modis. 145

Punctum I. De convalidatione absque dispensatione 147

Punctum II. De convalidatione per viam simplicis dispensationis.

Praenotanda 149

§ I. Dispensatio danda vel procuranda:

1. dispensatio a parocho vel confessario concedenda 150

2. dispensatio a parocho vel confessario procuranda 152

§ II. Renovatio consensus 157

Punctum III. De convalidatione per sanationem in radice 158

Scholion circa inscriptionem in registro matrimonii convalidati. 164

Appendix I

De dispensationis nulliter concessae sanatione 166

Appendix II

De officio parochi circa matrimonium civile 170

Appendix III

Formulae supplicarum pro dispensatione matrimoniali . . . 177
Formulae pro impetranda dispensationis sanatione 187
Variae aliae formulae 189

ADDENDA ET COMPLENDA

Num. **38**, p. 41, lin. 9, post : can. 1098, ponatur : infrà, sub n. 111, describendo ; omittantur autem reliqua.

Num. **41**, sub B, determinando ambitum potestatis parochi et (attenlo n. 43) sacerdotis, in casu can. 1098, ad dispensandum in casu urgente, illam potestatem restringimus ad impedimenta *fori interni*, in hunc sensum interpretantes restrictionem a canone 1045, § 3, inductam : « pro casibus occultis » ; illam autem interpretationem restrictivam in decursu tractationis retinuimus et continuò applicavimus.

Attamen non auderemus damnare modum agendi illorum qui, ulterius procedentes, interpretandum putent casum occultum de quocumque impedimento *facto occulto*, quantumvis sit natura publicum et fori externi, adeoque ad omnia, duobus exceptis, impedimenta facto occulta extendant potestatem dispensandi parochi et sacerdotis, in casu urgente: haec scil, sententia, quam, in Tractatu M., sub n. 793, in nota (1), dubitative proposuimus, quam autem practice sequi non sumus ausi, a R. P. Arendt vindicatur in ultimo fasciculo periodici *Nouv. Rev. théol.*, 1920, p. 261 ss.

Pag. 16 et p. 54 loco : paragr. 1ª, lege : paragr. 2ª.

Num. **90**, p. 86, lin. 21, post vocem : praesupposita, insere : licet non ad valorem.

Pag. 147, lin. 16, loco : 10475, lege : 1047.

SECTIO PRIMA

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII ANTE MATRIMONIUM

Caput I

DE EXAMINANDIS ET INSTRUENDIS NUPTURIENTIBUS

Articulus 1s. De examine instituendo.

Paragraphus 1a. De officio parochi.

1(1). **Praenotandum.** Supponimus nupturientes ad parochum accedere, ut nuntient futurum matrimonium et sollicitent admissionem ad bannorum proclamationem, vel et ad sponsalium celebrationem. *Primum officium* parochi est ut nupturientes parochianos, comiter exceptos, ritè *examinet* in ordine ad matrimonium.

Examen illud et *instructio* illa spectant ad parochum «*cui jus est assistendi matrimonio*» (can. 1020, § 1), adeoque ad parochum domicilii aut quasi-domicilii paroecialis aut mensilis commorationis, vel, si de vagis agitur, mensilem commorationem non habentibus in parochia, aut de illis qui non habent nisi domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum, ad parochum loci in quo actu commoratur nupturiens (infra, n. 96).

(1) M., 679 et 45 ss.

Domicilium intelligitur sive *facti*, seu domicilium *voluntarium*, quatenus aliquis, sui juris existens, in parochia vel quasi-parochia parochi habitationem fixerit cum animo perpetuò manendi, nisi quid avocet (1); sive domicilium *juris*, seu domicilium *legale*, quatenus in ea domicilium facti retinuerint nupturientis parentes, i. e. pater vel, hujus defectu, mater aut tutor (2), cui paterno domicilio nupturiens, inde a majorennitate vel emancipatione, non renuntiaverit (3). *Quasi-domicilium* acquiritur vel per habitationem in parochia cum animo in ea manendi per majorem anni partem, vel per habitationem reapse protractam ad majorem anni partem (can. 92, §2) (4). Intelligitur domicilium vel quasi-domicilium *paroeciale* (5). *Commoratio mensilis* importat commorationem in paro-

---

(1) *Amittitur* domicilium facti, non per solam mutationem habitationis, servato animo in pristinum locum redeundi ibique manendi, nec per solam mutationem animi absque habitationis translatione, sed per utrumque simul, i. e. per translationem habitationis mutato simul animo, seu per actualem recessionem a priori loco cum animo eò non remeandi.

(2) Can. 93 § 1. — Domicilium legale etiam habetur ab uxore legitimè non separata, in domicilio viri; ab amente, in domicilio curatoris. Sed de his non est ratio habenda hic.

(3) Renuntiatio illa fit vel per conceptum animum ad domicilium paternum jam non redeundi ipsique definitivè valedicendi, casu scil. quo extra domicilium paternum habitat filius aut filia; vel, pro casu quo in domicilio paterno adhuc degit, per factum recessionis conjunctum cum animo non redeundi.

Renuntatio illa domicilio paterno non est efficax ad mutandum domicilium legale, nisi postquam nupturientes per majorennitatem vel emancipationem sunt sui juris effecti. Minorennes domicilio illi paterno renuntiare non valent, adeoque ibi necessariò conservant domicilium legale.

(4) Dispositiones hae circa domicilium juris et quasi-domicilium peculiarem attentionem exfgunt cum famulis et ancillis. Solent illi habere quasi-domicilium in loco in quo famulatum exercent, et simul retinere domicilium juris in parochia domicilii paterni; hoc scil. domicilium paternum conservant tanquam domicilium juris quamdiu illi, post majorennitatem, non valedixerint.

(5) In novo Codice distinguitur domicilium aut quasi-domicilium

chia per mensem continuatam (1), quin obstet aliquem solere per diem abesse, modó continuó in parochia pernoctaverit. *Vagus* est qui nullibi habet domicilium vel quasi-domicilium.

Quodsi unus alterve nupturiens accedat ad parochum non competentem, regula est ut ab hoc remittatur, pro examine et instructione, ad parochum a jure determinatum.

Nota. Si dispositio can. 1020, §1, urgeretur, sponsi examinandi forent regulariter a parocho *sponsae,* cum matrimonium de regula celebrandum sit coram parocho sponsae; sed non videtur illa dispositio stricte urgenda, nec adeo improbanda censetur praxis vigens, juxta quam passim examinantur sponsi coram respectivo suo parocho.

Quamvis, juxta dicta, mensilis commoratio titulum constituit pro parocho ad examinandum nupturientem, opportunè tamen parocho mensilis commorationis praeferatur parochus, si detur, domicilii aut quasi-domicilii, cum ad hunc, non ad illum, pertineat ad bannorum proclamationem procedere, uti dicetur infra, sub. n. 26.

Hisce praenotatis :

2(2). Examen instituendum est 1° circa *doctrinam* et *scientiam* necessariam; 2° circa *statum liberum*, i. e. circa immunitatem ab impedimentis matrimonialibus, signanter ab impedimento ligaminis. Et quidem

---

paroeciale et *dioecesanum*, prout domicilium vel quasi-domilium acquiritur in parochia aut quasi-parochia, vel respective in dioecesi, Vicariatu aut Praefectura, non autem in parochia vel quasi-parochia. Can. 92, § 3.

(1) Attento can. 34, § 3, n. 3, « primus dies ne computetur et tempus finiatur ultimo die ejusdem numeri », puta a 25 Januarii ad diem diem 25 Februarii expletam.

(2) M., 688.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

§ 1. Circa doctrinam et scientiam.

Examen versari debet circa *rudimenta fidei*. Nimirum, praeter ea quae de necessitate medii sunt cognoscenda, de necessitate praecepti scire debent nupturientes symbolum, decalogum cum praeceptis Ecclesiae, tria sacramenta necessaria Baptismatis, Poenitentiae et Eucharistiae, orationem dominicam; debent etiam notitiam habere salutationis angelicae, actuum fidei, spei, charitatis et contritionis.

Horum rudimentorum, in quantum fieri potest, exigatur notitia distincta et memorialis; sed strictè sufficit ut sponsi de singulis veritatibus interrogati rectè respondeant quoad rei substantiam. Ignorantes sunt, uti monet *Pont. Commissio Codicis*, 2-3 Juni 1918, a parocho docendi; sed, si renuant, « non est locus eos respuendi a matrimonio ».

Nota quod interrogatio circa doctrinam et scientiam potest, juxta can. 1020, § 2, omitti, si « ob personarum qualitatem... inutilis appareat ». Caveat tamen parochus ne hac concessione abutatur, cum minus docti inde facile ansam sumerent examen sibi impositum ægrè ferendi ; potius cum doctioribus vitetur interrogandi modus et examen instituatur sub forma colloquii.

§ 2. Circa statum liberum.

3[1]. Ad detegenda impedimenta matrimonii et statum liberum stabiliendum, tria conducunt : 1° proclamationes bannorum ; 2° testimonium baptismale et 3° investigatio directa a parocho instituenda.

Quæ subsidia tria non sunt adhibenda nisi extra urgens mortis periculum. «*In periculo mortis*, ita disponente can. 1092, §2, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio jurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

(1) M., 676 et 677.

Quod vero spectat

I. **Proclamationes bannorum,** de hoc agetur mox infrá, sub nn. 26 ss.

Quod spectat **testimonium baptismi :**

4[1]. In can. 1021, §1, providetur quod, «nisi baptismus collatus fuerit in ipso territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ».

Circa quod nota a/ extractum baptismi etiam exigi debere a parte acatholica, quando agitur de celebrando matrimonio mixto ; b/ exigendum esse extractum *cum nota marginali*, illudque *recens* et in ordine ad matrimonium transmissum : recens extractum cum nota marginali exhibebit mentionem ibidem inserendam de matrimonio forsan contracto, de subdiaconatu suscepto, de professione sollemni emissa ac de confirmatione suscepta ; c/ non requiri extractum baptismale ad verbum exhibens actum in registro insertum, nisi id in jure particulari exigatur (2).

III. Quod spectat **investigationem directam parochi:**

A. *Medium ordinarium* investigationis est *interrogatio sponsorum.*

5[3]. In ordine ad hanc interrogationem, sicut in ordine ad integram investigationem, parochus recolat seriem impedimentorum canonicorum, dirimentium ac impe-

(1) M., 678.

(2) In decr. Congr. Prosyn. Brugensis, anni 1913, disponitur quod, quoties requiritur testimonium baptismi suscepti, oportet ut ad verbum exscriptum transmittatur *ipsum actum baptismale*, cujus parochus concordiam cum originali testificari debet.

(3) M., 680 et 466.

dientium, prae oculis habendo illa quae spectant forum externum, et magis attendendo ea quae frequentius occurrere solent.

Impedimenta *fori externi* censentur, *in ordine ad matrimonium contrahendum* (1), illa quae censentur *publica*, i. e. quae probari possunt in foro externo (can. 1037), sive sint *facto publica*, si nempe a pluribus quam quinque aut sex personis in oppido, vel septem aut octo in civitate, cognoscuntur (2), aut a fortiori si sunt notoria notoreitate juris aut facti (3); sive sint *natura* publica, quatenus scil. nituntur in facto quod vel in publicis documentis inscribitur, vel quod contingere petit coram Ecclesia aut coram coetu fidelium, aut coram teste qualificato, aut coram duobus testibus omni exceptione majoribus.

Impedimenta autem *natura publica* sunt, inter *impedientia:* mixta religio, omissio proclamationum, vetitum Ecclesiae, cognato legalis, votum simplex castitatis in congregatione religiosa emissum (4); inter *dirimentia:* aetas, ligamen, votum sollemne, ordo, disparitas cultus

(1) Dicitur: *in ordine ad matrimonium contrahendum;* circa impedimenta fori externi, in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, cf. dicenda sub. n. 154.

(2) Ut impedimenta censeantur facto publica, sufficit quod sint *materialiter* publica, licet maneant *formaliter* occulta: quatenus scil. notum sit factum ex quo resultat impedimentum, ignoretur autem ipsius impedimenti inde resultantis existentia.

(3) Can. 2197, n. 2 et 3: notorium est factum *notoreitate juris*, « post sententiam judicis competentis quae in rem judicatam transierit, aut post confessionem delinquentis »; notorium vero *notoreitate facti*, « si publicè notum sit et in talibus adjunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit».

(4) Hucusque *sponsalia* sollemnia, i. e. in forma infrà describenda celebrata, constituebant impedimentum impediens, atque ab Ecclesia urgeri poterat eorum executio. Sub disciplina vero novi Codicis, tenore can. 1017, § 3, ex illis « non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem ».

(quod impedimentum interdum venit, latiori sensu, sub nomine mixtae religionis), consanguinitas legitima et affinitas, cognatio spiritualis, publica honestas, clandestinitas. *Naturâ occulta* sunt, inter *impedientia :* votum castitatis privatim emissum, votum coelibatus, votum ingrediendi religionem vel suscipiendi ordines; inter *dirimentia:* consanguinitas illegitima, impotentia, crimen.

A parocho proinde investigandum est in foro externo circa impedimenta natura publica, quantumvis facto occulta videantur, non autem circa impedimenta natura occulta, nisi in quantum extrasacramentaliter motivum habet, puta ex rumore populari, suspicandi unum alterumve ex illis impedimentis forsitan esse facto publicum ; impedimenta natura et facto occulta spectant de se forum internum sacramentale, et inquisitio circa illa regulariter pertinet ad confessarium, de cujus officio agetur sub paragrapho altera.

6[1]. Porro, spectatis frequentius contingentibus, attendendum est:

1° Quod spectat impedimenta **impedientia:** ad mixtam religionem cognationem legalem et votum:

Mixta religio est impedimentum oriens inter duas personas baptizatas, quarum una est catholica, altera acatholica, i. e. sectae haereticae vel schismaticae adscripta. *Cognatio legalis*, ex adoptione orta, constituit, coram foro ecclesiastico, impedimentum prohibens in illis regionibus in quibus inducit impedimentum impediens civile ; et ideo in Belgio, sicut civiliter, sic etiam canonice, *prohibetur* matrimonium a/ inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes; b/ inter diversos adoptatos ejusdem adoptantis ad invicem, necnon inter adoptatum et proles adoptantis; c/ inter adoptatum et

(1) M., 681.

adoptantis compartem ac inter adoptantem et adoptati compartem. De *voto* passim non est loquendum in foro externo, nisi illius impedimenti suspicionem inducat peculiaris conditio sponsae, v. gr., quae valde piè vixerit et a mundanis admodum remota, praesertim si suspicio quodam testimonio probabili roboretur.

2° Quod spectat impedimenta **dirimentia** (1):

7(2). Sedulò attendere debet parochus

a/ Ad *consanguinitatem*, matrimonium dirimentem, in linea recta, in indefinitum, et ad *tertium* usque gradum, in linea collaterali. Circa quod et sequens impedimentum cautius est indagandum, si nupturientes respectivè oriuntur ex familiis familiaritatis vinculo ad invicem divinctis, vel si, in loco, solent incolae quasi tribum (caste) inter se efformare.

b/ Ad *affinitatem*, quae, sub nova disciplina, jam non oritur ex copula matrimoniali, sed *ex matrimonio valido*, sive consummato sive non consummato, quaeque matrimonium dirimit, in linea recta, in indefinitum, et, in linea collaterali, usque ad *secundum* gradum, inter personam quae matrimonium contraxit et consanguineos compartis.

c/ Ad *cognationem spiritualem*, quatenus una pars alteram partem baptizaverit vel susceperit: cui impedimento rarius erit locus, cum suppressa sit cognatio spiritualis, quae hucusque existebat, inter baptizantem vel suscipientem et parentes prolis baptizatae aut susceptae.

d/ Ad *publicam honestatem*, orientem ex *matrimonio invalido* aut *publico concubinatu*, inter personam unam et consanguineos alterius personae cum qua prior matri-

(1) Supponimus non esse dubium circa plenam consensus emittendi libertatem.

(2) M., 680 et 682.

monium nulliter contraxit aut publicum concubinatum instauravit: quæ publica honestas matrimonium dirimit contrahendum *in primo et in secundo gradu lineae rectæ*, et non ultra (1).

e/ Ad *ligamen*.

f/ Ad *aetatem*, quatenus, juxta can. 1067, § 1, requiritur, apud virum, ut decimum sextum annum, apud mulierem, ut annum decimum quartum compleverit.

g/ Quod attinet *clandestinitatem* : minus quam olim exponitur matrimonium periculo nullitatis ex hoc capite, cum ad valorem sufficiat matrimonium celebrari coram parocho *loci*, in quo contractus initur. Unde jam non refert ad validitatem matrimonii inquisitio circa nupturientium parochum proprium; non est tamen negligenda inquisitio circa domicilium et quasi-domicilium nupturientium eorumve commorationem menstruam, ut conditiones ad liceitatem requisitae accuratè observentur. Cf. infrà, n. 96.

3° Etiam sedulò attendere debet parochus num praesto sint impedimenta **juris civilis** : signanter consanguinitatis, lineae collateralis in primo gradu mixto cum secundo vel tertio (2), affinitatis in linea recta (3),

(1) Jam abrogata est, sub disciplina Codicis, publica honestas ex sponsalibus ; publica vero honestas ex matrimonio invalido vel concubinatu publico jam non habet vim irritativam matrimonii nisi in linea recta tantum, idque in primo vel secundo gradu dumtaxat.

(2) Sequimur hic, pro determinatione graduum, computum ecclesiasticum. Juxta computum civilem, determinatur gradus consanguinitatis et affinitatis, in linea collaterali, distantiam a stipite communi numerando ex utraque parte ; et ita, coram jure civili, frater et soror sunt in 2° gradu, avunculus et neptis in 3° gradu ; et item pro affinitate.

(3) Agnoscit jus civile etiam impedimentum affinitatis, in primo gradu lineae collateralis aequalis ; sed, inde a lege 11 Febr. 1920, hoc impedimentum practicè jam non est attendendum, cum cesset existere post mortem conjugis a quo affinitas procedebat.

defectus consensus paterni, de quibus infrà, n. 201 et seq. Regulariter namque, uti ibidem dicetur, non potest ad matrimonii celebrationem procedi nisi impletis formalitatibus civilibus, ad quarum adimplementum praesupponitur absentia impedimenti juris civilis ejusve per dispensationem remotio.

8(1). Uti ex praenotatis liquet, *regulariter* non sunt interrogandi nupturientes, in foro externo, circa impedimenta naturâ occulta, speciatim *criminis* (2), excepto scil. casu quo, ob peculiaria adjuncta, ratio praesto est delictum suspicandi in foro externo. Et sic, si recenter viduus postulat copulari cum muliere, putà ancilla, quacum habitavit tempore aegritudinis uxoris, vel cum alia foemina quacum noscitur familiariter esse conversatus, profectò non omittet parochus cautè indagare utrum sponsus, vivente uxore, non adulteraverit cum sponsa, eique futurum matrimonium promiserit. Quodsi agitur de viro qui, obtento divortio civili, civiliter copulatus fuit praesenti sponsae, cui, exinceps defuncta uxore legimita, nubere intendit, praesumitur criminis impedimentum ; matrimonium namque civile constituit attentationem matrimonii, et meritò supponitur copula adulterina ; imo indagandum tunc erit utrum non intervenerit promissio matrimonii coram Ecclesia ineundi post mortem compartis legitimae : inde enim impedimentum duplicatur.

9(3). *Nota.* Interrogandi sunt sponsi *seorsim* et *cautè.* Monitum de interrogatione facienda caute spectat praesertim impedimentum *criminis,* de quo modò. Si

(1) M., 680.

(2) De affinitate illicita jam non est curandum, cum penitus sit abrogata nec amplius constituat impedimentum.

(3) M., 683.

nempe circa ipsum, attentis modò dictis, prudenter judicatur indagandum, procedat parochus per modum instructionis (dicendo haec et haec esse impedimenta de quibus instrui solent nupturientes), potius quam per modum directae interrogationis, qui modus innueret haberi aliquam suspicionem circa dictum impedimentum. Curandum etiam est ut saltem sponsa protracto vespere non admittatur ad examen.

B. *Modi peculiares investigandi.*

10[1]. 1° Ubi agitur de *consanguinitate* determinanda vel detegenda, aut etiam *affinitate*, plerumque non est fidendum soli attestationi nupturientium; scrutandi sunt etiam, pro opportunitate, illorum cognati, ac saepe conficienda erit *arbor genealogica* : quam arborem genealogicam, jure particulari, Ordinarius Brugensis exigit exhibendam simul cum supplica pro dispensatione super consanguinitate et affinitate.

11[2]. *Arbor genealogica* (3) conficitur describendo utriusque sponsi ascendentes,si agatur de detegenda consanguinitate, usque ad *tertium* inclusivè gradum, seu ad proavos usque et proavias inclusivè: si in utraque serie, quatuordecim personas utrimque continente (4), eadem persona occurrit, signum est quod inter sponsos consanguinitas existit (5).

(1) M., 684.

(2) M., 598 ss.

(3) Prae oculis habemus, pro confectione arboris genealogicae, solam consanguinitatem et affinitatem *in linea collaterali ;* ubi agitur de linea recta, sponte innotescit et facilè determinatur impedimentum cum gradu.

(4) Ex utraque parte, sponsi scil. et sponsae, 2 dantur parentes ; 4 avi et aviae ; 8 proavi et proaviae (oud-grootvaders en oud-grootmoeders).

(5) Si sponsi *aequaliter* distant a stipite communi, dicuntur esse

Si agitur de affinitate, describantur ascendentes unius partis et consanguinei defuncti conjugis alterius partis, usque ad *secundum* gradum, i. e. usque ad avos et avias inclusive (1).

Attendendum est etiam ad consanguinitatis *multiplicitatem*, quae ex ritè confecta abore genealogica sponte innotescit, attenta sequenti regula : toties scil. multiplicari consanguinitatem inter sponsos, *quoties multiplicatur stipes communis* (can. 1076, § 2), adeo ut jam non multiplicetur consanguinitas ex eo quod ad eumdem stipitem communem ascendi possit pluries, per diversas scil. vias. Ex *triplici* autem *causa* oriri potest inter duas personas consanguinitas *multiplex* : vel *primò*, ex eo quod illarum ascendentes matrimonium

in linea collaterali *aequali*. Pro determinando autem *gradu* : sunt ad invicem consanguinei in gradu correspondente numero generationum, quibus descendunt a stipite communi ; et sic, si stipes communis est proavus, nupturientes sunt consanguinei in 3º gradu; in 2º gradu, si pro stipite communi habent avum.

Quando sponsi *inaequaliter* distant a stipite communi, dicuntur esse consanguinei in linea collaterali *ineaquali* : sunt nempe in 3º mixto cum 2º, si stipes communis est proavus sponsae et avus sponsi ; in 2º mixto cum 1º, si stipes communis est avus sponsae et pater sponsi ; potest etiam misceri 3ˢ gradus cum 1º. Notetur quod, si 3ˢ gradus ex una parte exceditur, jam non sit attendenda consanguinitas : gradus namque remotior trahit ad se proximiorem. Idem principium valet pro affinitate.

En *specimen arboris genealogicae*, juxta quam sponsi sunt consanguinei in tertio gradu aequali :

Petrus N.

1. Carolus N. — Carolina N.	1 Paulus N. — Paula N.
2. Bernardus N. — Bernarda N.	2. Joannes N. — Joanna N.
3. Antonius (orator).	3. Josepha (oratrix).

(1) In conficienda arbore genealogica, pro determinanda affinitate, nomini oratoris vel oratricis substituatur nomen defuncti conjugis illius oratoris vel oratricis.

inierunt inter determinatos consanguinitatis gradus (1); vel *secundò*, ex eo quod descendunt respectivè ab ascendentibus qui inter se consanguinei, putà duo fratres, duxerunt uxores ad invicem consanguineas, putà sorores (2); vel *tertiò*, ex eo quod natae sunt ex eodem patre et ex duabus respectivè matribus inter se

---

(1) *Pro prima hypothesi*, sit sequens schema :



Facile liquet sponsos, Bernardum et Rosam, convenire in communem stipitem, Petrum et Elisabeth, adeoque eos consanguineos esse in 2° gradu tangente primum; etiam conveniunt in communem stipitem Antonium, tribus generationibus distantem, quin, quod sedulò nota, lineae ductae ab utroque sponso usque ad Antonium transeant *ambae simul* per eamdem personam : linea nempe ducta inde a sponso transit per medium Carolum et Petrum, cum linea ducta inde a sponsa transit per mediam Elisabeth et Paulum. Sunt igitur sponsi *dupliciter* consanguinei : semel in secundo gradu tangente primum, et semel in tertio gradu aequali.

(2) Pro *secunda hypothesi*, sumamus sponsos quorum respective patres sunt fratres inter se, et matres ad invicem sorores, juxta schema subnexum :



Illicò apparet Paulum et Annam *bis* esse consanguineos in 2° gradu lineae collateralis aequalis, seu eos esse consanguineos in *duplici* gradu 2°.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

consanguineis, aut vicissim (1). Cf. infrà, n. 62 (2).

12(3). 2° *Pro peculiaribus adjunctis*, signanter si agitur de sponsis qui in aliena dioecesi morati sunt per sex menses, aut vagi existunt, aut milites sunt qui per varia praesidia transierunt; vel si, varias ob causas, peculiaris est ratio impedimentem suspicandi, Ordinarii est pro prudentia sua probationes seu conjecturas colligendas praescribere. Can. 1023, § 2 et § 3, coll. can. 1020, § 3.

En autem quaedam probationes quae, pro varia casuum specie, suggeri possunt:

a/ Depositio jurata testium de libertate status nupturientium.

b/ Pro casu sponsorum qui ex aliena dioecesi oriuntur vel alibi per aetatem nubilem habitaverunt, exigatur testimonium libertatis ex parte Ordinarii loci in quo

(1) *Pro tertia hypothesi*, sit casus quo sponsi communem habent avum et distinctas avias sorores, quas communis avus successive duxit in uxores, uti ostendit schema:



Sponte innotescit sponsos esse consanguineos in 2° gradu lineae collateralis aequalis, ratione avi communis Petri, et simul in 3° gradu ejusdem lineae, ratione Antonii, proavi communis ex parte matris.

(2) *Affinitatis* impedimentum multiplicatur « 1° quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit; 2° iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti ». Can. 1077, § 2.

(3) M., 685 s.

versati sunt vel ex parte parochi dicti loci : quod parochi testimonium ab Ordinario sit recognitum.

c Ubi res est de sponso viduo vel sponsa vidua, cujus compars in alieno loco obiisse fertur :

1. « *documentum authenticum* diligenti studio exquiri omninò debet : exaratum scilicet ex regestis paroeciae vel xenodochii vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit ».

2. ubi deficit documentum authenticum, supplendum est per *depositionem* duorum testium, qui sint fide digni, jurati et qui de facto personaliter noto deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque circumstantias substantiales.

3. quocumque teste deficiente, obtinenda erit probatio obitus ex *conjecturis, indiciis et adjunctis* quibuscumque, admisso etiam argumento deducto ex fama, debitis conditionibus stipata.

Si descripta investigationis media non potuerint adhiberi, vel non ita ut ad moralem certitudinem duxerint, recurrendum est, tanquam ad ultimum effugium, ad *juramentum suppletorium.*

Ad idem *juramentum suppletorium* recurri opportune potest etiam in aliis casibus, in quibus non agitur de viduo vel vidua, sed in quibus, judicio Ordinarii, desunt probationes sufficientes ad probandam status libertatem.

13[1]. *Nota. Juramentum suppletorium* in hoc consistit quod sponsi sub fide juramenti sollemniter declarent se ab omni impedimento, et signanter ab impedimento ligaminis, esse immunes. Porro sciat paro-

(1) M., 687.

chus se illud propria auctoritate non posse deferre ; adeundus est *Ordinarius* qui, attento tenore cann. 1019, § 2, 1020, § 3, 1023, § 2, ac citati decreti Pont. Comm. Cod., ad 4m, jam non indiget peculiari indulto, ad hoc ut deferre possit illud juramentum.

En autem *modum servandum* in praestatione juramenti suppletorii :

Orator (oratrix) coram duobus testibus, manu dextera Evangelio apposita ac genuflexus ante imaginem crucifixi, mediam inter duos cereos accensos, juramentum emittet his similibusve verbis :

« *Ik N..., zweer bij God dat ik met niemand door den echt verbonden ben ; en dat er, bij mij wete, tusschen ons beiden geen hoegenaamd beletsel van huwelijk bestaat. Zoo helpe mij God en zijn heilige Evangeliën !* ».

Seu gallicè :

« *Je N..., jure devant Dieu que je ne suis point engagé dans les liens du mariage ; qu'à ma connaissance, il n'existe entre nous deux aucun empêchement de mariage. Ainsi Dieu me soit en aide et ses saints Evangiles !* ».

Antequam autem juramentum emittit orator (oratrix), eum (eam), moneat parochus de gravitate actus praestandi et ritè instruat circa *nullitatem* matrimonii cum impedimento dirimente contracti ; praeterea, juxta injunctum Congregationis S. Officii, ipsi notas faciet poenas ecclesiasticas, ut infamiae, excommunication is et interdicti, contra polygamos a sacris canonibus statutas aut ab Ordinariis infligendas (can. 2356).

Parochus relationem rei peractae, a nupturiente necnon a se et a duobus testibus debitè subsignatam, ad Episcopum dirigere non omittet.

Paragraphus 1a. **De officio confessarii.**

14(1). Ad *confessarium* spectat examen a parocho institutum complere, scitè simul et cautè indagando circa impedimenta quae, in ordine ad matrimonium contra-

(1) M., 689.

hendum, censentur *fori interni*, quae nempe natura simul et facto sunt occulta, juxta notionem datam suprà, sub n. 5, signanter circa facto occultum impedimentum consanguinitatis illegitimae, *criminis*, necnon, cum personis devotioribus, circa occultum *votum* privatim emissum. De *impotentia* non est sciscitandum, nisi peculiaris ratio sit hujusmodi impedimentum suspicandi.

Examen illud est instituendum *in confessione*, et quidem in illa confessione quae, juxta usum apud nos vigentem, peragi solet die qua primùm banna proclamantur (infrà, n. 17); caveatur saltem ne nimium differatur examen et ita tempus desit, in casu detecti impedimenti, aptum remedium applicandi.

Profectò non omnes nupturientes sunt interrogandi circa singula impedimenta, sed ratio est habenda personarum earumque morum ac honestioris vitae, et quo minor locus est suspicioni, eo prudentius est procedendum, ut vel ab interrogatione prorsus abstineatur, vel a longe ac sub generaliori formula instituatur inquisitio; praesertim cautè est inquirendum circa impedimentum criminis, attentis dictis suprà, sub. n. 8. Cavendum tamen ne confessarius aequo facilius opportunas interrogationes omittat, cum periculo gravissimarum difficultatum et anxietatum in futuro.

Porro meminerit confessarius impedimentum *criminis* contrahi per adulterium conjunctum cum attentatione matrimonii vel cum promissione mutua matrimonii, aut cum conjugicidio ex unius machinatione, ac etiam per solum conjugicidium ex utriusque partis machinatione, i. e. per mortem reipsa illatam ex facto utriusque sponsi mutuò conspirantium. Cf. suprà, n. 8.

Articulus 2s. De Instructione danda.

Paragraphus 1a. De officio parochi.

15(1). Haec *privata* nupturientium instructio, proximè praeparatoria ad matrimonium, summa cum cura est facienda, sive occasione examinis instituti, sive etiam, si fieri potest, alio temporis momento.

Imprimis juvabit quaedam generalia, monita in memoriam revocare circa matrimonii naturam ac dignitatem, officia inculcando conjugum inter se et erga proles (2): ipsis etiam in manus tradendo parvum libellum manualem, cujus lectione horum memoria renovetur (3).

In specie insistendum est a parocho in gravi obligatione *baptisma* conferendi in casu necessitatis, nec

(1) M., 694.

(2) Can. 1033. — « Exhortetur curatus, ita monet *Instructio pastoralis Eystettensis*, 1905, n. 501, sponsam praesertim, ut jam ante partum non oratione tantum, sed corporali quoque sollicitudine, vitae prolis provideat, nimios devitet labores. Prolem mater ipsa, si fieri potest, nutriat, ambo charitate eam foveant et alant, et jam a primis annis excolere studeant, puritati maximè invigilantes ».

(3) Ita De Smet, *Het christelijk huwelijk*, Brugge, 1920 ; Van der Burg, *Ouderzorg en ouderweelde*, Leiden, 1918 ; Egger, *De christelijke vader*, Amsterdam, 1911 ; Id., *De christelijke moeder*, Amsterdam, 1911 ; Van Heesch, *Vrouwenzorg*, Grimbergen, 1919 ; Cramer, *De christelijke moeder*, Luik, 1876 ; Merville, *Trouwersboekje*, 5de uitg., Brugge, 1910 ; Joseff, *Conseils pour la préparation au mariage*, 32e éd., Liége, 1909 ; Glöckls, *Brautunterricht*, 5e aufl., St Pölten, 1909 ; Forschner, *Die christliche Familie — Briefe für junge Eheleute*, Mainz, 1910 ; Holler, *Ehekatechismus*, 4e aufl., Dülmen, 1909 ; Hoppenot, *Petit cathéchisme du mariage*, Paris, 1908 ; P. Robert, *Le livre d'or ou le conseiller des jeunes mariés*, Bruges, 1910 ; Sommer, *Kurzer Brautunterricht*, Köln, 1908 ; Geens, *Vrome bedenkingen voor trouwers en getrouwden*, Hoogstraeten, 1911 ; Rouzic, *Avant le mariage*, Paris, 1913 ; Nysten, *Ce que les jeunes fiancés et les époux doivent savoir*, Liége, 3e éd. ; idem, *Instructions familières sur le mariage, son origine, sa vie intime et sa préparation*, Liége, 1912 ; D. G., *Le Bonheur des familles assuré*, Liége, 2e éd. — Circa curam prolium, egregiam opellam conscripsit Prof. Dr Daels, *Voor moeder en zuigeling*, Leuven, 1918.

omittat sponsos artem docere baptizandi, ut et ipsi, si opus sit, sacramentum administrare valeant : ad quod tamen moneantur ab illis non esse procedendum nisi deficiente omni alia persona idonea ; moneri etiam potest sponsa de cura habenda abortivorum, ut nempe et ipsa, saltem inde a tertio conceptionis mense, baptizentur, nisi corrupta appareant et certò mortua, juxta latius exposita in nostro Tractatu *De sacramentis in genere, baptismo et confirmatione*, 1915, n. 319 s. (1).

16[2]. Prudenter et providè sciscitetur parochus a sponsis utrum sufficienter instructi existant *circa usum matrimonii*. Illos autem quos in hoc negotio *ignorantes* inveniat, quod nonnunquam contingit apud candidae innocentiae puellas, inhaesitanter docebit, parochus circa consortii conjugalis naturam ac primarium officium, vel potius, quotiescumque id commodè fieri potest, eos cautè instruendos curabit, eos remittendo ad matrem vel piam matronam. Crudele est enim hujusmodi personas pro tota vita statui devovere quem penitus ignorant, eisque jugum imponere quod ipsis, tardius instructis, exosum erit forsitan ac intolerabile.

Profectò prudenter et cautè est danda illa instructio, abstinendo ab evocanda analogia cum brutis, sed potius extollendo dignitatem matrimonii ac nobilitatem actus conjugalis, quo mediante, quasi cooperatores existunt Dei in sublimi opere creationis, ac vocantur ad augendum numerum filiorum Dei et civium sanctorum.

Melius edoctos circa naturam conjugalis consortii, non omittat ad honestatem et castimoniam conjugalem adhortari.

---

(1) Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 562 ss.

(2) M., 695.

Utrum autem ulterius sit procedendum, vel utrum pro ulteriori instructione in hac re sint ad confessarium remittendi, prudentis parochi est dijudicare pro variis adjunctis. Porro potest esse opportunum, imo non desunt graves Auctores hanc normam passim servandam urgentes, ut ipse parochus sponsos instruat circa *licita et illicita* in matrimonio, ad modum qui infrà describetur servandus a confessario. Et sanè absque offensione excipient hujusmodi instructionem ex ore proprii pastoris, ac majori forsan cum fructu quam ex parte confessarii, junioris nonnunquam vel sponsos ignorantis ipsisque ignoti, qui caeteroquin non semel ab illa instructione danda impedietur ob alia gravissima negotia in confessionis decursu tractanda.

Huc spectat potissimum gravis monitio contra vitium *onanismi*, eaque eo explicitor requiritur et instantior quo latius in regione grassatur nefanda illa lues, et quo majori jure timetur illa praxis sequenda a nupturientibus hîc et nunc instruendis.

Suggeratur tandem nupturientibus ut, si dubia posteà exsurgant, ea confessario confidenter proponere non timeant, ut tuta et quieta conscientia vitam degant in conjugio. Quodsi consilio vel ope medici indigeant, cavebunt ne adeant virum improbum aut a principiis christianis alienum, et sciant non deesse ejusmodi medicos qui illicita ac moralitati contraria suadere non vereantur.

17[1]. *Nota* 1° Ad munus parochi instruendi nupturientes spectat etiam eos monere de peragenda, in ordine ad matrimonium, *confessione*, in qua de instante matrimonio moneant confessarium, qui sic monitus non omittat examen (de quo sub n.14) instituere circa impedimenta fori interni.

(1) M., 192 s.

Praestat autem ut nupturientes non tantum confiteantur (ac communicent) triduò vel pridiè ante matrimonii celebrationem, ad normam propositam in Concilio Tridentino et in *Rituali Romano*, sed etiam, juxta laudabilem consuetudinem apud nostrates existentem, ut ad sacramenta accedant « die qua primum eorum banna proclamabuntur, quae dies solemnis est eis » (1): confessio illa in *Rituali* suadetur maximè intuitu fructuosae susceptionis sacramenti, haec autem suadetur magis intuitu tempestivae inquisitionis circa impedimenta occulta. Porro vult jus dioecesanum Brugense, l. c., ut nupturientes a parocho moneantur quod « ante matrimonii celebrationem, *testimonium* adferant de instituta a se sacramentali confessione » ; quod statutum dioecesanum non habet vim praeceptivam, sed directivam tantùm, adeo ut, si alteruter nupturiens confiteri renuat, non possit ex hoc solo capite a matrimonio arceri.

18(2). 2o Dicta suprà spectant instructionem privatim et individuatim dandam nupturientibus. Quod attinet instructionem *publicam* coram populo fideli proponendam, favente occasione, juvat haec pauca prae oculis habere :

Nimirum parocho competit, instructione publica, docere *doctrinam* de matrimonio, ejusque dignitatem *extollere ;* praesertim autem debet frequenter inculcare *officia* conjugum tam ad invicem quam erga proles.

Quod in specie spectat *usum conjugii*, profectò nonnisi generali et obvoluto sermone est loquendum in ecclesiae cathedra ; non est tamen abstinendum a gravi monitione pro opportunitate (v. gr. occasione explicationis catechismi) danda uxoratis : quod nempe ipsis non omnia liceant, quatenus etiam in statu conjugali possit contra castitatem peccari, idque foedissimè ; ac plerumque proderit, attenta vitii frequentia, severè et energicè invehi in vitium onanismi, fini

(1) *Liber Manualis* pro dioecesi Brugensi, ed. 2a, p. 189.
(2) M., 690 et 693.

Creatoris directe contrariantis ac Dei vindictam provocantis; suggerendo etiam numerosas familias benedictionibus supernis cumulari, et quaerendo num illis benedictionibus non obsistant conjugati.

Hujusmodi autem monitionibus opportunus prae caeteris locus est in sodalitatibus in gratiam conjugum institutis, in quibus magis ex professo, liberiori ac fusiori sermone, utique casto et modesto, licet de illis loqui.

Paragraphus 2ª. **De officio confessarii.**

19[1]. Cum agatur de instructione danda poenitentibus, ad instans matrimonium proximè praeparandis, instructio illa vix non tanget nisi solum usum conjugii; hac tamen occasione verbum utiliter additur de instructione a confessario, pro opportunitate, danda poenitentibus, circa electionem status conjugalis, necnon circa obligationes resultantes ex sponsalibus contractis vel ex copula carnali.

Et quidem

A. **Circa usum matrimonii.**

Si 1° confessarius sponsos reperit primarium officium matrimonii ignorantes, illos doceat vel edocendos curet, juxta dicta suprà, sub n. 16.

Si 2° ulterius *interrogant circa licita et illicita in conjugio*, confessarius principia summariè proponat hanc materiam regentia, juxta quae poenitentes suam conscientiam moderari tutò valeant. Nimirum

a/ actum conjugalem esse legitimum, imo ad eum ex stricta justitia mutuò obligari coujuges; b/ omnia inter conjugatos licere quae ad prolis procreationem ordinantur; ac etiam c/ a culpa saltem lethali esse generatim immunes actus venereos, licet ad conceptionem non

(1) M., 696.

directè ordinatos, modò fini generationis non contrarientur positivè ; d/ gravissimè vero peccari per quemcumque usum matrimonii generationis fini positivè contrarium, maximè effusionem seminis procurando onanisticam, qua scelerosa praxi funditus destruitur finis a Creatore intentus et divinae Justitiae vindicta jam in terris provocatur.

Quinimò, nisi nupturientes a parocho jam sint instructi aut aliunde cognoscantur in hisce sufficienter edocti, vel sint honestioris plane vitae, regulariter opportunum erit eos, *etiam non interrogantes*, in hunc sensum edocere ; hac ratione malum praevenietur nec serius medicina parabitur.

Hoc etiam inculcetur nupturientibus : ex una quidem parte vitandas esse anxietates in usu matrimonii, sed ex alia parte in omnibus *servandam esse honestatem naturalem*, ac conjuges debere esse conscios dignitatis actus quem ponunt, ac memores verborum tum Tobiae junioris ad castam uxorem : « filii quippe sanctorum sumus et non possumus ita conjungi sicut gentes quae ignorant Deum »(1) ; tum Archangeli Raphaëlis ad ipsum Tobiam : « hi namque qui conjugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos »(2).

Non omittat tandem confessarius monitum *Pastoralis Brugensis*, p. 122, ut, aliquanto post contractum matrimonium tempore, ad confessionem revertantur, ut anxietatum, si quae sint, circa matrimonii statum et officia solutionem quaerant et accipiant.

---

(1) *Tob.*, VIII, 5.
(2) *Tob.*, VI, 17.

B. Circa electionem status conjugalis.

20[1]. 1° A matrimonio avocandi sunt, *intuitu perfectioris status coelibatus*, soli illi qui capiunt verbum Domini et cupiunt a carnalibus abstinere ac sese castrare propter regnum coelorum, ex motivo scil. supernaturali, seu ex amore castitatis vel ut liberius vacent orationi et operibus charitatis.

2° *Alio titulo* dissuadendum est *per se* matrimonium, vel etiam prohibendum, illis qui ad illud inepti reperiuntur vel ad ejus onera ferenda non idonei, sicut et illis quorum valetudo nata est grave periculum inducere conjugi aut proli nascendae.

Hujusmodi sunt, praeter impotentes, omnes illi qui adeo hebetes sunt et ingenio imbecilles ut educandae soboli prorsus inepti existant, necnon illi qui tanta corporis debilitate aut defectuositate laborant ut generare vel parere vix valeant, ac tandem illi qui gravi morbo inficiuntur comparti vel proli communicando, quemadmodum contingit maximè cum phtisicis necnon syphiliticis, saltem in periodo contagiosa (2). Dissuadeantur etiam matrimonia ineunda a junioribus personis perfectam virium evolutionem nondum adeptis; ac cautè procedatur in directione danda circa matrimonium a vel cum per-

(1) M., 699.

(2) Ita Prof. Dr Daels, *Voor onze jongens*, blz. 61 : « Om aan een gewezen syphilisziekte het huwelijk toe te laten, eischt het geneeskundig geweten : dat hij van de noodzakelijkheid eener *bestendige* behandeling overtuigd zij en beslist deze behoorlijk toe te passen ; dat hij sedert ten minste twee jaar van alle ziekteteekenen vrij is, ook van de kenmerkende bloedreactie ; dat het begin der ziekte ten minste van vóór vier jaar dagteekent ».

Circa quaestionem autem utrum et quousque medicus, conscius hujusmodi defectus apud nupturientem, possit aut debeat illius existentiam manifestare alteri parti hujusve parentibus, cf. Salsmans, *Geneeskundige plichtenleer*, Leuven-Brugge, 1917, n. 105.

sona hysterica, aut masturbationi seu homosexualitati dedita contrahendum (1).

Dicitur: *per se*, quia, seposita impotentia, potest hujusmodi personis matrimonium permitti ex altioris ordinis motivo, putà ad imminens incontinentiae periculum vitandum, salva obligatione imponenda ut compartem moneant de defectu ipsi damnoso.

3° Caeteris personis idoneis, nec ad altiorem perfectionem vocatis, passim, viris praesertim, suadendum est matrimonium, vel etiam nonnunquam imponendum ; et maximè reprobanda est abstinentia a conjugio ex egoismo aut inani timore onerum conjugibus incumbentium.

C. **Circa obligationes :**

21(2). 1° Resultantes *ex spōnsalibus :*

Inculcanda est sponsis, pro data opportunitate, *triplex* ad sponsalia consequens coram conscientia *obligatio :* a/ obligatio gravis justitiae *contrahendi matrimonium* cum persona desponsata *congruo tempore :* tempore scilicet ab ipsis contrahentibus statuto, vel, si nullus terminus fuerit praefinitus, tempore ab usu et consuetudine determinato ; b/ obligatio, primâ nitens, servandi *fidelitatem sponsalitiam*, mutuam nempe agendi amorosam, castam utique et honestam, conversationem, juxta adjuncta et mores receptos, exclusa omni procatione cum tertia persona intuitu matrimonii, etiam specietenus, instituenda ; exclusa praesertim fornicatione cum tertia persona ; c obligatio, primâ etiam nitens, ut

(1) Efficax remedium in hoc esset quod communiter in moribus admittantur usus mutuò exigendi testimonium medicale, ab alio medico quam a medico familiae ministrandum ; periculosum autem foret quod a Statu civili hujusmodi testimonium exigendum imponatur. Cf. SALSMANS, *Geneeskundige plichtenleer*, n. 152 s.

(2) M., 24 et 32 ss.

sponsi seipsos *non reddant ad matrimonium ineptos*, puta ex impotentia, vel notabiliter deteriores, defectum voluntariè contrahendo quo notabiliter vilescant in ordine ad nuptias promissas ineundas.

Sedulò autem notetur quod descriptae obligationes illae non consequantur in foro interno, nisi in quantùm fuerint in forma decreti *Ne temere* et Codicis (infrà, n.25) celebrata (1); quodque ex capite sponsalium, etiam in forma Codicis contractorum, nulla in foro externo conceditur actio ad petendam matrimonii celebrationem.

Ratio etiam habeatur variarum causarum quae obligationes sponsalitias, signanter obligationem matrimonium ineundi, extinguunt, sive dissolvendo sponsalia, sive illa dissolubilia reddendo ad nutum poenitentis. Porro in specie dissolvuntur sponsalia per mutuum consensum ; solubilia verò redduntur per supervenientem vel innotescentem notabilem defectum in altera parte, vel per fidem fractam ab altera parte : quae fidei fractio continetur in attentatione sponsalium aut in procatione cumtertia persona.

22[2]. *Nota.* Quod attinet *revelationem occultorum defectuum :* ex justitia non tenentur sibi mutuò revelare nisi defectus alteri parti graviter nocivos vel probrosos, qualis esset praegnantia sponsae ex alio viro vel infirmitas contagiosa ; et etiam, quoad ipsos defectus nocivos, ratio est habenda morum vigentium et aestimationis communis; quibus attentis, non censetur v. gr. manifestandus labilis status fortunae.

---

(1) Illud assertum, ante Codicem probabile, adeoque practice tutum, nunc certum evasit, ac expressis verbis affirmatur in can. 1017, § 1.

(2) M., 35 s.

2° Obligationes resultantes *ex copula carnali :*

23[1]. *Sola copula* non inducit obligationem nubendi, nequidem ubi est violenter peracta ; sufficit in hoc casu ut stuprator damna illata alio modo reparet, puta dotando, juxta adagium : duc vel dota.

Si copulam sequitur *impraegnatio* seu prolis generatio, oriri potest obligatio *pietatis* matrimonii ineundi erga prolem, ad hanc legitimandam. Si copulae merè accedit matrimonii *promissio*, haec censebitur, ex intentione promittentis, obligare *ex justitia* ad nuptias. Si autem copula fuit concessa *propter* factam promissionem matrimonii ab altera parte : si *seria* fuit promissio, datur obligatio justitiae ad nubendum ; si vero *ficta* fuerit promissio, non habetur, vi promissionis, obligatio pro promittente ad matrimonium ineundum, sed regulariter datur illa obligatio ratione injuriae illitae, cum aliter non possit reparari injuria. Cf. *Collat. Brug.*, II, p. 615 ss.

Nota. Quod spectat obligationis *extinctionem :* attende primò, obligationem pietatis facilius cessare quam obligationem justitiae ; secundò, generatim cessare obligationem justitiae ex causis extinguentibus obligationem sponsalitiam, juxta modò dicta ; tertiò, obligationem, ubi manet, vix unquam esse urgendam contra partem invitam et repugnantem, sed potius esse recurrendum ad compositionem et amicam litis solutionem.

(1) M., 26.

Caput II

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII POST EXAMEN NUPTURIENTIUM

Articulus 1s. De officio parochi et confessarii in casu non detecti impedimenti.

24. *Praenota.* Si nullum innotuit impedimentum, *confessarius* jam nullum peculiare munus habet exercendum erga nupturientes, ante matrimonium : sufficit ut eos, occasione data, hortetur ad sanctam praeparationem matrimonii, eosque efficaciter adjuvet in vitandis occasionibus peccandi.

Ad *parochum* vero spectat procedere ad *bannorum proclamationem*, necnon ad *sponsalitium contractum*, si nondum fuerit initus illumque inire cupiant nupturi.

Paragraphus 1a. De admissione ad sponsalia.

25(2). Nulla datur obligatio matrimonio praemittendi sponsalia, sed in votis esse videtur Ecclesiae ut nuptias praecedant. Quodsi celebrentur, possunt quidem celebrari absque parochi interventu, cum ad hoc sufficiat scriptura a partibus et a duobus quibusvis testibus subsignata; praestat tamen ut coram parocho contrahantur.

Nimirum parochus formulam contractus sponsalitii *scripto* conficiat, quatenus sponsus et sponsa sibi mutuo dant fidem sponsalitiam, cum indicatione loci, et cum mentione diei, mensis et anni; curet autem ut haec scriptura a partibus subsignetur, illaeque propriam sig-

(1) M., 4 et 8 ss.

naturam apponant, praesentibus ad invicem, dum subsignant, partibus et parocho. Quodsi utraque pars contrahens vel alterutra pars scribere nequeat, tertia persona potest ipsis substitui, quae utriusque vel alterutrius loco scripturam subsignet, mentione facta in instrumento incapacitatis scribendi (1). Attendendum etiam requiri ut parochus, coram quo sponsalia celebrantur, sit parochus loci, adeoque supponi quod instrumentum subsignetur in territorio parochiae parochi subsignantis (2).

Nulla praescribitur inscriptio contractus sponsalitii; suadendum tamen ut ejus mentio, ubi fuerit ritè initus, conservetur in speciali registro, ad norman formulae modò descriptae.

Paragraphus 2ª. **De bannorum proclamatione.**

26(3). Proclamatio bannorum instituenda est, juxta can. 1023, § 1, a *parocho proprio*. Parochus autem *proprius* est parochus parochiae in qua quis habet domicilium vel quasi-domicilum, aut in qua hic et nunc vagus existit, aut in qua degit non habens domicilium nec

(1) En specimen formulae :

« N. N., zoon van ..., ... jaar oud, woonachtig te ..., en N. N. dochter van ..., ... jaar oud, woonachtig te ..., gaan bij dezen de wederzijdsche verplichting aan samen te trouwen op bekwamen tijd.

X..., den ..., in . ., 19..

Handteekens der verloofden.

Handteeken van den E. H. Pastor of van twee getuigen.

N. B. Daar N. N. onbekwaam is (zijn) te schrijven, wordt dit getuigschrift door een bijgevoegden getuige onderteekend.

Handteeken.

Si non strictè praecipitur, saltem consulendum ut, si una tantum pars scribere non valet, altera subsignet simul cum teste suppletorio.

(2) Suadetur, sed non strictè praecipitur, ut parochus loci, coram quo sponsalia celebrantur, sit simul parochus *proprius*, et quidem parochus sponsae.

(3) M., 41, 44 ss. et 52 ss.

quasi-domicilium paroeciale, sed dioecesanum dumtaxat. Can. 94.

Distinguimus duplicem casum, prout uterque sponsus sit ejusdem parochi subditus vel non :

I. Casu quo **uterque nupturiens** est **ejusdem parochi parochianus**, hujus parochi est 1° ad bannorum proclamationem ex parte sua procedere ; 2° alios parochos, si qui sint, quibus de jure incumbit banna proclamare, monere de proclamatione facienda ; 3° dispensationem super bannis, si locus sit, ab auctoritate ecclesiastica petere et obtinere. Et quidem

1° *Bannorum proclamatio* debet fieri *tribus vicibus*, per *tres dies dominicos vel festivos* de praecepto (1) *continuos*, regulariter *in ecclesia parochiali*, *intra missarum sollemnia*, aut etiam « inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat » (2).

Quod spectat *formam :* vulgari sermone et intelligibili voce nuntiandum est instans matrimonium, expressis nomine et cognomine utriusque nupturientis, indicata parochia originis ac habitationis, necnon conditione coelibatus aut viduitatis, addito, si alterutra pars vidua est, nomine prioris conjugis. Inseratur etiam mentio dispensationis obtentae super impedimento publico matrimonii, vel super una alterave publicatione, nec omittatur indicatio utrum primum sit bannum, an secun-

(1) Festa de praecepto, juxta catalogum can. 1247, sunt : festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Domini, Immaculatae Conceptionis, Assumptionis, S. Joseph (19 Martii), St. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum.

In hisce diebus proclamari possunt banna, etiam ubi festum est *abrogatum*, supposito utique aliquo populi concursu ; non jam possunt denuntiari diebus e catalogo festorum suppressis, adeoque non feria 2ª post Pascha vel Pentecosten.

(2) Can. 1024.

dum, an tertium. Tandem moneantur fideles de obligatione revelandi impedimenta. Praetermitti autem debent omnia quae possent esse probrosa nupturientibus.

Hisce publicationibus oraliter factis potest Ordinarius, pro suo territorio, « substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, *affixionem* nominum contrahentium, *per spatium saltem octo dierum*, ita tamen ut, hoc spatio, *duo dies festivi* de praecepto comprehendantur ». Can. 1025.

27[1]. 2° *Moneri debent* de proclamatione facienda alii, si qui sint, parochi, in quorum parochia proclamanda etiam sunt banna (2). Nimirum a, fieri potest ut, praeter parochiam in qua uterque sponsus habet domicilium vel quasi-domicilium, alteruter vel uterque habeat simultanee quasi-domicilium vel domicilium in alia parochia ; b « si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui, pro sua prudentia, vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes... colligendas praescribat » (3); c, casu quo aliqua suspicio est de impedimento, Ordinarius potest praecribere proclamationes ulteriores (4).

Porro invitari debent parochi domicilii vel quasi-domi-

(1) M., 49, 52.

(2) R^e D^ne Pastor — Digneris matrimonium N. N. et N. N. parochianorum meorum, ad tramites juris, ter (vel semel) publicè proclamare et rescribenda rescribere.

(3) Can. 1023, § 2. Hucusque existebat ordinatio juris particularis Brugensis, qua praescribebatur banna proclamari in parochia deserta, si non ultra sex menses fuerit derelicta. Hoc statutum de bannis proclamandis in parochia olim habitata, non applicabatur casui nupturientis, puta famulae, quae, infra spatium sex mensium, parochiam domicilii paterni deseruit quidem facto, sed illam retinuit tanquam domicilium juris, seu domicilium legale, juxta notata sub n. 1 : in hoc scil. domicilio juris proclamanda sunt banna ter, juxta dispositionem de qua sub 1°.

(4) Can. 1023, § 3.

cilii ad banna proclamanda *ter;* in aliis parochiis, de quibus sub 2° et 3°, standum est instructionibus Ordinarii vel ordinationibus quae in variis dioecesibus introductae fuerint (1).

28(2). 3° *Dispensatio*, ubi opportuna censetur, postuletur ab Ordinario proprio, si opus sit dispensatione in tribus bannis ; ab Ordinarii vero delegato, a Decano scil. (in dioecesi Brugensi), quando sufficit dispensatio in uno alterove banno.

Porro a dispensatione petenda abstineat parochus, nisi legitima praesto sit causa (3). Plures autem enumerantur *causae dispensandi.* Et quidem, ut a dispensetur *ex toto :* urgens casus matrimonium celebrandi, puta ob instantem necessitatem ad exteras regiones discedendi ; item quando ineundum est matrimonium conscientiae(4).

---

(1) Eadem disciplina circa parochiam desertam, quae inducta fuerat in dioecesi Brugensi, etiam hucusque vigebat in archidioecesi Mechliniensi; in dioecesibus Gandavensi et Namurcensi, proclamatio debebat fieri *ter* in parochia infra spatium sex mensium derelicta. In dioecesi Tornacensi, si in parochia praesentis habitationis nupturientes non sunt commorati per sex menses continuos, proclamatio *trina* debebat fieri in parochia in qua ultimò per sex menses degerint. In dioecesi Leodiensi, si praesenti loco non degant inde a sex mensibus, banna proclamabantur ter in *sola* parochia ultimò derelicta.

(2) M., 63 ss.

(3) Plerumque alium praetextum non habent nupturientes ad sollicitandam dispensationem, quam ut in hoc sequantur, ex mera vanitate, exemplum divitum et nobilium, quibus solent banna ex parte remitti. Sufficit autem sponsos altioris conditionis ad hoc adducere ut sinant matrimonium suum, ad normam juris, ter proclamari : eo ipso, quemadmodum laudanda experientia jam constat, brevi recedet abnormis ille usus absque legitima causa dispensationem sollicitandi. Cf. Congr. Prosyn, dioeceseos Brugensis, 1910, apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 327.

(4) *Matrimonium conscientiae* est matrimonium secretum et secreto celebrandam, omissis omnibus sollemnitatibus ex quibus innotescere posset, adhibitis testibus familiaribus secreto adstrictis, vel etiam, si necesse sit, testibus neglectis ex dispensatione. Cf. M., n. 160.

vel quando publicationes ex rigore juris faciendae prorsus inutiles evaserunt, puta ex eo quod planè ignati existunt sponsi (1).

b Ut dispensetur *ex parte:* imprimis sufficit quaecumque legitima causa anticipandi matrimonii celebrationem, qualis est timor scandali ex provecta praegnantia sponsae, periculum. incontinentiae, fundata suspicio ne parentes retractent consensum, instantia temporis clausi et alia hujusmodi. Causa etiam foret dispensandi in uno alterove banno, ut nupturientes, puta valdè disparis aetatis aut conditionis, ludibrio minus exponantur; pariter si timeatur ne multum graventur desponsati ex dispensationis recusatione, ac aliunde moraliter certò constet nullum obesse impedimentum. Tandem passim admittitur, uti causa gratiosa, nobilitas nupturientium, quippe quorum cognationes sunt magis notae.

29 (2). II. Casu quo ad **diversum parochum proprium** pertinent sponsi:

1° *Parochus sponsi* debet, postquam examen et instructionem peregerit, monere parochum sponsae de examine instituto et non detecto impedimento (3); non potest autem ad bannorum proclamationes procedere, antequam rescriptum acceperit a parocho sponsae, eum invitante ad banna denuntianda. Ipsius non est reliquos parochos monere nec dispensationen procurare.

---

(1) Si contingat ita urgere matrimonii celebrationem ut tempus prorsus deficiat dispensationem petendi, potest declarare parochus legem ex epikia cessare. Quod in specie obtinet pso matrimonio in extremis, de quo cf. infrà.

(2) M., 51.

(3) Ad hoc sufficit schedulam mittere in hanc vel similem formam : « Re Dne Pastor — Tutò denuntiari potest, quantum ad me spectat, matrimonium N. N. parochiani mei cum N. N. una ex tuis ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

30[1]. 2° *Parochus sponsae* pro officio habet ut, examine instituto et accepta certioratione ex parte parochi sponsi de non detecto in examine impedimento, denuntiet matrimonium et ad nuptiales denuntiationes faciendas invitet parochum sponsi (2), necnon alios parochos, de quibus sub n. 27; ad ipsum etiam pertinet dispensationem petere, si ei locus sit, et quidem a solo Ordinario vel respectivè Decano sponsae, licet sponsus alterius dioeceseos sit vel decanatus.

31[3]. *Nota* 1° Quando a parocho sponsae vel utriusque sponsi invitandus est parochus sponsi vel alius parochus ad banna proclamanda, moneri debet, si casus occurrat, de dispensatione obtenta in uno alterove banno, ut hujus dispensationis ratio habeatur ejusque mentio inseratur in bannorum proclamatione.

2° Si, post ritè peractas proclamationes, « infra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliter loci Ordinario videatur » (4); in dioecesi Brugensi, « ubi proclamationes antenuptiales antiquiores fuerint tribus mensibus, novae proclamationes *semel* fieri debebunt...; si antiquiores anno fuerint, *ter* fieri debent ».

3° Regulariter prohibetur banna proclamari in ordine ad matrimonia *mixtae religionis* aut *disparitatis cultus;* sed loci Ordinarius potest, remoto scandalo, illas permittere, « dummodò apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis acatholicae » (5).

(1) M., 51.
(2) En formulam : « Re Dne Pastor — Digneris matrimonium N. N. parochiani tui cum N. N. parochiana mea, ad tramites juris, publicè proclamare et rescribenda rescribere ».
(3) M., 53, 58 et 59.
(4) Can. 1030, § 2.
(5) Can. 1026.

4° Quod spectat proclamationes *differendas* vel *interrumpendas:*

a/ *dubio* exorto circa impedimentum, ideo non sunt differendae proclamationes nondum incoeptae, nec interrumpendae sunt denuntiationes jam inchoatae.

b/ detecto impedimento *certo:* si est occultum, non sunt differenda nec interrumpenda banna, sed res est deferenda ad Ordinarium vel ad S. Poenitentiariam; si est impedimentum publicum et innotescit ante incoepta banna, differantur donec impedimentum fuerit in foro externo ablatum; si innotescit impedimentum, inchoatis sed nondum expletis publicationibus, parochus eas prosequatur, re delata ad Ordinarium (1).

32[2]. 5° Proclamatione instituta, manet ut parochus sponsi parochum sponsae, coram quo regulariter célebrandum est matrimonium (suprà, n. 1 et infrà, n. 96), moneat de exitu proclamationum. Nimirum, si nullum impedimentum innotuit, de hoc certiorabit parochum sponsae, juxta formulam consuetam (3); contrà, si detectum est (4) impedimentum in foro externo, parochum sponsae certiorem reddere debet de impedimenti exi-

---

(1) Can. 1031, § 1, n. 2, et § 2, n. 1 et 2. — Supponitur, sub b/, agi de impedimento *dispensabili*. Secus, si nempe certò obstat impedimentum indispensabile, regulariter declarandum est partibus a matrimonio esse abstinendum.

(2) M., 60.

(3) « N. N., parochianus meus et N. N., parochiana tua, in ecclesia mea ter (vel bis, vel semel, cum mentione dispensationis in bannis) proclamati sunt, et nullum innotuit impedimentum. Quare ad eorum matrimonium, quantum ad me attinet, tutò procedi potest ».

(4) Dicitur : si *detectum est* impedimentum, non vero : si denuntiatum est impedimentum; non sufficit namque parocho denuntiari impedimenti existentiam, ut hanc existentiam illicò admittat; debet denuntiationis illius fides sedulò probari et accuratae investigationi subjici denuntiati impedimenti existentia.

stentia: quo accepto nuntio, parochus sponsae sese conformabit normae modò suprà propositae, sub 4°, circa banna differenda; curandum etiam erit, pro opportunitate, de removendo impedimento, juxta mox dicenda.

6° Receptum esse solet ut parochus, pro hisce publicationibus faciendis, a nupturientibus habeat moderatum emolumentum; qua in re parochi sese conforment usui existenti ac statutis localibus.

In dioecesi Brugensi, providetur nulla posse peti honoraria quando semel iterantur proclamationes, utpote tribus mensibus antiquiores et anno recentiores; si anno antiquiores fuerint, honoraria consueta pro eis peti possunt. Dum autem banna proclamantur in parochia ubi neuter desponsatorum habitat, non exigatur, ratione proclamationis et testimonii desuper expediti, ultra francum cum dimidio; a pauperibus vero nihil prorsus exigatur.

Articulus 2s. De officio parochi et confessarii in casu detecti impedimenti.

Disputatio prima. De electione remedii adhibendi.

33[1]. I. Imprimis recolendum est impedimenta in duplicem seriem dividi, quod nostram quaestionem attinet, et quidem alia esse *removibilia*, alia *irremovibilia*.

1° **Removibilia** sunt

a/ per *viam dispensationis:* interdictum Ecclesiae, cognatio legalis, votum simplex et mixta religio, quod spectat impedimenta *impedientia;* inter *dirimentia:* aetas, disparitas cultus, consanguinitas in linea collaterali, ultra primum gradum aequalem, affinitas, excepta linea recta, consummato matrimonio, publica honestas, cognatio spiritualis et raptus; etiam votum sollemne et ordo, hac salva restrictione quod, in hisce duobus impedimentis, non dispensetur nisi gravissima de causa, quodque

(1) M., 714.

super presbyteratu non soleat ab Ecclesia dispensari, nisi forsan ob causam ordinis publici, quodque super episcopatu numquam dispensetur; tandem impedimentum criminis, sub hac restrictione quod, extra periculum mortis et casum urgentem, aegre dispensetur in conjugicidio publicè noto.

b/ per *viam recessus spontanei,* dependenter, scil. a facto partium vel tertiae personae: nimirum aetas, quae recedit per dilationem matrimonii; impedimentum vis et metus, per ablationem vis illatae; raptus, per restitutionem partis raptae in loco tuto ejusque liberum consensum; disparitas cultus et mixta religio, per baptismum partis infidelis vel conversionem partis acatholicae; quibus addi potest amentia temporanea.

34[1]. 2° **Irremovibilia** sunt impedimenta quae neque sponte recedere possunt, neque dispensabilia sunt, ratione habita praxis Ecclesiae.

Jamvero a/ *indispensabilia* sunt: impedimenta dirimentia erroris, amentiae, vis et metus, aetatis infra discretionis usum, impotentiae, ligaminis, consanguinitatis in linea recta ac in primo gradu lineae collateralis, affinitatis in linea recta, consummato matrimonio, ordo episcopalis et, salvo motivo ordinis publici, ordo presbyteralis; aegrè autem dispensantur, extra periculum mortis et casum urgentem, votum sollemne, ordo infra presbyteratum et crimen ex conjugicidio publico.

b/ *Sponte recedere nequeunt* eadem omnia impedimenta indispensabilia, exceptis impedimentis aetatis, amentiae temporaneae ac vis et metus.

Impedimentis irremovibilibus *aequiparantur* impedimenta quae quidem, per alterutram viam recessus spon-

(1) M., 715.

tanei vel dispensationis, absolutè removibilia sunt, sed quae hic et nunc de facto removeri nequeunt, sive quia conditio ad spontaneum recessum non verificatur, sive quia dispensatio, ob defectum causae proportionatae (1) vel ob temporis angustiam (2), impetrari non potest.

II. Hac attenta impedimentorum partitione, en **normas** sequendas pro triplici casu vel detecti impedimenti irremovibilis, vel detecti impedimenti removibilis, vel detecti impedimenti probabiliter tantum existentis :

35(3). A. Si **certò** detectum impedimentum est **irremovibile**, sive absolute sit irremovibile, sive hic et nunc removeri nequeat, juxta modò dicta : *regulariter* obsistendum est matrimonio, vel differendae sunt nuptiae, quando scil. obstat impedimentum quod quidem non est absolutè irremovibile, sed quod ob angustiam temporis dispensari nequit.

Exceptionaliter autem fiet ut ad matrimonii celebrationem procedi queat. Nimirum

(1) Causae praecipuae, quae in stylo Curiae admittuntur, infrà, sub n. 63, enumerantur. Proportio autem requiritur in gravitate causae respectu gravitatis impedimenti. Ita, si pro consanguinitate dispensanda in 3° gradu levior causa sufficit, puta aetas superadulta, gravior requiritur ubi agitur de 2° gradu, signanter de 2° mixto cum 1° ; item si, pro affinitate ultra 1ᵐ gradum lineae collateralis, haud difficilem sese ostendit Ecclesia, pro primo gradu affinitatis jam stictiorem exigit causam; invocanda quoque est gravior causa pro crimine cum machinatione, etiam occulto, quam pro crimine ex fide data tantum; aegre etiam, uti modò notatum, et nonnisi graviori de causa, dispensat S. Sedes super mixta religione et disparitate cultus.

(2) Casus esset si agitur de impedimento fori externi et matrimonium adeo proxime instat ut ad Ordinarium recurri nequeat : restringitur enim potestas dispensandi, in casu urgenti (vi can. 1045, § 1), apud parochum, confessarium aut sacerdotem (in casu can. 1098), ad casus occultos, i. e. ad impedimenta fori interni, uti dicetur infrà. Casus igitur obtineret si detegeretur, immediate ante nuptias celebrandas, impedimentum consanguinitatis, affinitatis, vel aliud impedimentum fori externi.

(3) M., 716.

1° Ubi agitur de impedimento *merè impediente:* impedimentum absolutè quidem dispensabile sed quod ob angustiam temporis dispensari nequit, cessare potest *ex epikia*, coram urgenti matrimonii ineundi necessitate (1); potest etiam, aliàs obstante impedimento impediente, nonnunquam, graviori de causa et de consensu Episcopi, tolerari matrimonii celebratio (2).

2° Ubi obstat impedimentum *dirimens*, locus est, in foro interno, exceptioni sequenti : nempe, si est impedimentum absolute irremovibile, possunt sponsi, impedimenti existentiam ignorantes, nonnunquam *in bona fide* relinqui et ad matrimonium admitti, quando scil., ex una parte, bona fides non praevidetur disturbanda, et, ex alia parte, gravissima mala timentur ex revelatione impedimenti ; v. gr. si, in casu impedimenti consanguinitatis illegitimae indispensabilis, revelanda forent filio natalia illegitima et turpitudo matris (3).

(1) Supponitur matrimonium non posse absque gravi incommodo procrastinari.— Hucusque, ante inductum Codicem, locus etiam erat, juxta multorum sententiam, epikiae, *in casu* sic dicto *perplexo*, quando nempe, ex una parte, agebatur de impedimento dispensabili quidem, sed quod ob angustiam temporis dispensari nequibat, et, ex alia parte, urgebat, sub periculo infamiae, matrimonii celebratio. Nunc vero, sub nova disciplina Codicis, attenta amplissima facultate, in can. 1045, § 3, concessa parocho, confessario et sacerdoti (in casu can. 1098), dispensandi, in casu urgenti, super impedimentis fori interni — quorum sola praesentia provocare posset casum perplexum— jam practice possumus negligere hypothesim casus perplexi, licet theoretice posset adhuc contingere.

(2) Ita tolerentia observatur, vel saltem ad haec usque tempora observabatur, cum impedimento *mixtae religionis*, quando ab Ecclesia denegatur vel etiam a partibus culpabiliter negligitur dispensatio: veniam scil. concessit S. Sedes ut, in quibusdam regionibus Germaniae, Austriae et Hungariae, parochus nuptiis, spreta vel denegata dispensatione contractis, passive assistat, quando Ecclesiae utilitas et bonum commune id exigunt. Cf. infrà, n. 105 s.

(3) Ita uxor, vivente marito, adulterinam susceperat filiam ex viro pariter uxorato ac filium habente, qui filius postea ducere volebat filiam illam adulterinam, sororem illegitimam ex patre communi : sola autem mater conscia erat impedimenti, illudque prodere non poterat sine gravissimo sui opprobrio ac scandalo.

36[1]. B. Si **certò** obstare reperitur impedimentum hic et nunc **removibile :** provocetur, quatenus fieri potest, etiam tunc quando locus est dispensationi, spontanea remotio impedimenti, differendo v. gr. matrimonii celebrationem post adeptam atatem competentem, vel curando ut pars infidelis baptismum suscipiat aut pars acatholica convertatur.

Quodsi spontaneus recessus obtineri nequeat, recurri potest ad dispensationem. Attamen parochus debet praeviè, in tuitionem disciplinae ecclesiasticae, partes a matrimonio ineundo dehortari(2), nec potest ad dispensationem recurrere, nisi postquam repererit nupturientes a nuptiis dissuaderi non posse, vel urgentes rationes militare in favorem matrimonii contrahendi.

37[3]. C. Si **prohabiliter dubitatur** (4) obesse impedimentum : tunc 1° ubi agitur de impedimento *merè impediente*, nihil obstat, cum res sit de sola liceitate, quominus a probabilitate speculativa transeatur ad probabilitatem practicam et ad matrimonium procedatur, sive dubium sit facti, sive dubium juris, idque sive dubium sit circa impedimentum juris naturalis aut divini, sive circa impedimentum juris ecclesiastici.

2° Si dubium versatur circa impedimentum *dirimens :* si est dibium circa impedimentum *juris ecclesiastici*, dubium *juris* potest negligi et nihil obstat quominus ad matrimonium procedatur; si est dubium *facti*, removendum

(1) M., 717.

(2) Cfr. *Liber man. Brugen.*, p. 188. — Praesertim obsistere debet parochus matrimoniis *mixtis*, sive stricte dictis, inter partem scil. catholicam et partem baptizatam acatholicam (inter quas : mixta religio), sive late dictis, inter partem fidelem et partem infidelem (inter quas : disparitas cultus).

(3) M., 718.

(4) Intendimus dubium, post serium et accuratum examen perseverans.

est impedimentum per recessum spontaneum vel per dispensationem, quae in casu concedi potest, uti infra dicetur, ab Ordinario. Can. 15.

Quodsi agatur de dubio, sive facti sive juris, quod afficiat impedimentum juris *naturalis* aut *divini*, removendum est impedimentum vel a matrimonio abstinendum, sicuti in casu impedimenti irremovibilis certo existentis, salva tamen hac notanda exceptione : si nempe res est de impedimento absoluto, omne matrimonium cum quacumque persona excludente, posset matrimonium permitti, non obstante dubio, praevalente tunc nativo jure, quod unusquisque habet, ad nubendum, salvo jure tertii (1) ; et ita persona probabiliter tantum impotens non est a matrimonio impedienda (2).

Disputatio secunda. DE APPLICANDO REMEDIO DISPENSATIONIS.

38. Praenotandum. 1° Dispensatio *pro foro externo* regulariter concedenda est aut procuranda *a parocho ;* et quidem a parocho sponsae, nisi agatur de impedimento absoluto solum sponsum afficiente (puta votum vel ordinem) vel de impedimento relativo, nitente in delicto sponsi, puta honestatem publicam ex publico concubinatu. *Exceptionaliter* concedi potest dispensatio *a simplici sacerdote*, matrimonio assistente in casu can. 1098, ubi nempe adire nequit parochus ejusve delegatus et simul instat periculum mortis vel praevidetur illa rerum conditio per mensem duratura (3).

(1) Dicitur : « salvo jure tertii » ; et ideo dictum non applicatur impedimento *ligaminis*, ita ut non possent dubitanti de morte conjugis novae nuptiae permitti, ob salvandum jus probabile tertii, i. e. compartis.

(2) Can. 1068, § 2.

(3) Cf. infrà, n. 111.

2° Dispensatio *pro foro interno :* a/ *sacramentali*, conceditur vel procuratur *a confessario ;* b/ *non sacramentali*, conceditur aut procuratur a parocho, vel exceptionaliter a sacerdote, in casu can. 1098 (1).

Examinandum proinde a parocho et confessario num, attentis dispositionibus novi Codicis, ipse valeat dispensare et quomodo ; dein, si id non valeat, a quonam dispensationem consequi possit, quanam via recurrere debeat et quomodo, ac tandem juxta quasnam normas executioni mandandum sit dispensationis rescriptum. Sit igitur

Paragraphus prima. **De dispensatione ab ipso parocho vel confessario concedenda.**

Punctum I. POTESTAS DISPENSANDI PAROCHI.

I. **Quandonam et cum quibusnam dispensare possit.** *Parochus* dispensare potest :

39 (2). A. In **periculo mortis,** quando matrimonium est ineundum ad consulendum conscientiae vel legitimationi prolis, modò *loci Ordinnrius adiri nequeat.*

Circa quam dispensandi potestatem haec observa :

1° Supponitur *periculum mortis*, sed non refert undenam proveniat, sive ex causa intrinseca, puta ex morbo, sive ex causa extrinseca ; unde non restringitur potestatis exercitum ad solos aegrotos.

---

(1) Concessio dispensationis *pro foro interno*, et praesertim ejusdem procuratio, passim facienda est a confessario, utique in foro interno sacramentali ; nonnunquam tamen locus est dispensationis concessioni vel etiam procurationi, ex parte parochi vel sacerdotis, in foro interno extrasacramentali, quando scil. obstat incommodum quoddam aut oratoris renuentia recursui ad forum sacramentale.

(2) M., 792.

2° Requiritur ut matrimonium sit contrahendum vel ad consulendum conscientiae vel ad legimandam prolem : *prior* conditio verificatur, quando vir aliter quam per matrimonium nequit removere occasionem peccandi, vel consulere famae complicis, vel injuriam reparare puellae quam seduxit sub promissione matrimonii ; *altera conditio* obtinet, quando matrimonium ideo exoptatur ut proles concepta nascatur legitima, vel jam illigitimè nata legitimetur : sive per ipsum subsequens matrimonium, si naturalis sit (1), sive per legitimationis actum in dispensatione matrimoniali exequendum, si proles sit spuria (2) et non adulterina nec sacrilega (3).

Non requiritur quod dispensandi in concubinatu vivant.

3° Non obstat quominus impedimentum directè afficiat partem non periclitantem et indirecte tantum partem in mortis discrimine versantem (4).

4° Requiritur ut adiri nequeat loci Ordinarius.

Porro adest impossibilitas adeundi Ordinarium, quotiescumque pereclitans timetur moriturus vel sensibus destituendus antequam recursus instituatur et dispensa-

---

(1) Proles illegitimè natae (genitae scil. ex matre quae, neque tempore conceptionis,neque tempore nativitatis, neque tempore intermedio, juncta erat matrimonio legitimo vel putativo) sunt *naturales*, si sunt ex parentibus quorum matrimonio nullum obstabat impedimentum dirimens ; hae legitimantur per ipsum subsequens matrimonium.

(2) Proles *spuriae* sunt illae quae natae sunt ex parentibus inter quos existebat impedimentum dirimens matrimonium. Hujusmodi proles non legitimantur per subsequens matrimonium, sed indigent, pro legitimatione, rescripto Principis, seu speciali legitimationis actu, qui solet in dispensatione concedi.

(3) A legitimationis beneficio regulariter excipiuntur proles natae ex adulterio vel sacrilegio.

(4) Ita, si pars benè valens obnoxia est impedimento ordinis non presbyteralis vel voti sollemnis, potest cum hac parte dispensari.

tio Ordinarii impetretur (1) : etiam adesse censetur quando, non adeo urgente mortis discrimine, adiri quidem posset Ordinarius, sed non sine aliunde orituro gravamine, signanter ex periculo violandi sigillum aut secretum.

5° Hanc potestatem exercere potest parochus non tantùm cum parochianis, sed etiam cum non parochianis in parochia actu degentibus.

40(2). B. **Extra periculum mortis :**

Dispensare potest **in casu urgenti**, quando scil. jam omnia sunt parata ad nuptias nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri potest : modò a/ agatur de casu *occulto ;* b/ adiri nequeat loci Ordinarius.

Circa quod observa :

1° Ut casus *urgens* obtineat, non requiritur quod ex dilatione matrimonii oriretur periculum infamiae vel scandali, quod facilius contingit cum impedimentis occultis ; sed sufficit periculum probabile gravis mali cujuscumque. Ita v. gr. si, omnibus ad nuptras paratis, merito timetur ne matrimomi celebratio negligatur, puta quia sponsi in eo sunt ut longinquum iter arripiant.

2° Restringitur hujus potestatis enercitium ad *solos parochianos*, sed non refert quod sive parochus dispensans, sive sponsi dispensandi extra parochiam degant.

3° Potestas haec, sicut et illa de qua sub A, est potestas *ordinaria*, utique vicaria. Can. 197.

---

(1) Tempus autem recurrendi ad Ordinarium censetur deficere, si aliter recurri nequit quam via telegraphica vel telephonica, non verò si recurri potest per litteras vulgò dictas *par exprès*.

(2) M., 793.

II. Super quibusnam impedimentis et pro quonam foro dispensare possit.

41[1]. A. **In periculo mortis,** dispensare potest parochus (vel et simplex sacerdos) super omnibus impedimentis *juris ecclesiastici*, sive impedientibus sive dirimentibus, sive fori externi sive fori interni, non excepta clandestinitate, idque etiam *cumulative;* sola excipiuntur duo impedimenta a quibus Ecclesia non solet dispensare: ordo scil. presbyteralis et affinitas lineae rectae, consummato matrimonio. Can. 1044.

Quod autem spectat *forum :* dispensare potest parochus *pro foro externo*, super impedimentis scil. fori externi, et *pro foro interno non sacramentali,* super impedimentis fori interni (2). Cf. suprà, n. 5.

Cautelae servandae huc potissimum spectant ut, quando dispensatio fuerit concessa subdiacono, diacono vel sollemniter professo, caveatur a scandalo et offensione populi (3); injungendae etiam sunt cautiones solitae (de quibus infrà, sub n. 83) in dispensatione data super disparitate cultus aut mixta religione.

B. In **casu urgenti**, dispensare potest, vi can. 1045, § 3, in casibus occultis, i. e. super impedimentis juris ecclesiastici quae sunt *fori interni*, super occulto scil. crimine, occulto voto privatim emisso, et occulta consanguinitate illegitima, ultra gradus jure naturali prohibitos. Cf. suprà, n. 5.

(1) M., 761 et 793.

(2) Parochus potest etiam dispensare in foro interno sacramentali, sed tunc agit qua confessarius, de quo mox.

(3) Passim efficacius cavetur ab offensione populi, suadendo religioso vel clerioo sic dispensato ut exteram regionem petat, in qua ejus conditio ignoratur ; vel, si id fieri nequeat, illi injungendo exercitia spiritualia aliasve poenitentias, ac talem vitae rationem quae excessibus reparandis apta videatur et populo fideli in aedificationem sit.

Dispensat autem, in casu, *pro foro interno extra-sacramentali :* quae dispensatio sic concessa super impedimento occulto suffragari potest, ad normam can. 1047, in foro externo, si impedimentum publicum evadat : ad hoc, si opportunum judicatur, adnotetur diligenter in secreto Curiae episcopalis archivo, insertis nominibus et praenominibus oratorum.

Punctum II. POTESTAS CONFESSARII.

42 (1). A. Potest *confessarius* dispensare, in descriptis *periculo mortis* ac *casu urgenti*, si deficiat tempus adeundi Ordinarium, super modò memoratis impedimentis juris ecclesiastici, quae sunt fori interni. Dispensandi autem potestas ejus restringitur *ad forum internum sacramentale.*

B. *Extra periculum mortis* et *casum urgentem :*

Possunt, in dioecesi Brugensi (et nonnullis aliis dioecesibus (2), canonicus poenitentiarius, confessarii decani, confessarii missionis, necnon communes confessarii, in quibusdam temporibus privilegiatis (3), ex potestate ab Episcopo delegata, *dispensare-commutando* super *votis non reservatis* (4).

(1) M., 794 et 798.

(2) Quod autem spectat disciplinam vigentem *in aliis dioecesibus Belgii : decani* eamdem descriptam facultatem habent in dioecesi Gandavensi; in dioecesi Tornacensi, possunt vota non reservata *commutare ; confessarii pro missione deputati* eadem fruuntur facultate in omnibus dioecesibus Belgii.

(3) Dies illi sunt : festum Omnium Sanctorum cum octava, adoratio perpetua cum octava, dies XL horarum et triduanae supplicationis in honorem SS^mi. Cf. *Collat. Brug.*, VI, p. 395, coll. litteris Episcopi Brug. 20 Jan. 1910.

(4) Vota *non reservata* sunt omnia vota *privatim* emissa quae non non sunt votum perfectae ac perpetuae castitatis aut votum ingrediendi religionem votorum sollemnium, vel quae emissa non fuerint absolutè vel non post completum decimum octavum aetatis annum (can., 1309) ; reservantur quaecumque (etiam temporanea) vota

43[1]. **Scholion.** Descripta potestate dispensandi quae, juxta modò dicta, parocho competit in periculo mortis et in casu urgenti, etiam gaudet **simplex sacerdos** quivis, quando assistit matrimonio in casu can. 1098, § 2, quando nempe matrimonio assistit in defectu Ordinarii vel parochi, qui sine gravi incommodo haberi vel adiri nequit. Cf. infrà, n. 111.

Insuper *Superiores religionis clericalis* (in qua scil. plerique sodales sacerdotes existunt) *exemptae* dispensare possunt, etiam extra periculum mortis et casum urgentem, super *votis non reservatis*, modò dispensatio non laedat jus aliis quaesitum; et hanc potestatem exercere possunt etiam in foro externo, sed nonnisi erga professos, novitios aliosque in religiosa domo noctu diuque versantes. Can. 1313, n. 2.

Punctum. III. PROCESSUS SEQUENDUS.

44[2]. I. **Si solum obstare noscitur impedimentum fori externi** (3) : externi

Concedenda est dispensatio a parocho (vel a simplici sacerdote) sequenti modo :

Debet parochus dispensationem concedere ope instrumenti *scripti*, nisi temporis copia prorsus desit : quo casu scriptum conficiatur posteà, ad hoc ut de data dispensatione constare possit in foro externo. Nimirum, postquam, ubi opus est (4), provisum fuerit reparationi

publica i. e. quae fuerint emissa in congregatione religiosa (c. 251, § 3, coll. can. 1308).

(1) M., 795.

(2) M., 894.

(3) Spectat haec hypothesis, juxta dicta sub n. 41, solum casum periculi mortis.

(4) Locus est remotioni scandali praesertim in casu quo in publico concubinatu vixerint nupturientes, quod hic supponimus ; ideo etiam inseritur absolutio juridica cum poenitentia juridica. Cf. etiam suprà, sub n. 41.

scandali (1), tunc, invocata potestate ipsi concessa per can. 1042, parochus, expressis etiam nomine et cognomine dispensandorum, a censuris absolvat nupturientes ad effectum (2), et, si locus sit, juridicam det absolutionem cum poenitentia (3), varias clausulas injungat (4), ac tandem formiter dispenset, prolemque, ubi casus ferat, legitimet (5).

(1) Opportunus modus removendi scandalum, signanter si oritur ex concubinatu, est ut nupturientes declarent, coram parocho et duobus testibus, se dolere de delictis admissis, seseque veniam implorare de illis necnon de scandalo inde exorto. Cf. infrà n. 73, 82 et 85.

(2) Absolutio a censuris *ad effectum* est illa quae solet praemitti absolutioni sacramentali et dispensationis elargitioni, ut removeatur a poenitente absolvendo vel nupturiente dispensando obstaculum censurae fortè contractae : censura autem non aufertur absolutè sed secundum quid tantùm, ad effectum scil. dumtaxat, unicè efficiendo ut censura non obstet validae vel licitae consecutioni dispensationis, relicta censura quoad reliqua. Vocatur etiam absolutio *generalis*, vel *ad cautelam*. Continetur in formulae hucusque adhiberi solitae verbis : «ad effectum praesentis gratiae consequendae... absolventes et absolutos fore censentes ». Caeterum, favore can. 66, § 3, « in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae ». Notetur autem quod, attento can. 36, § 2, dispensationis valori non noceat censura, nisi agatur de interdictis personaliter vel de excommunicatis aut suspensis per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam.

(3) Locus est *absolutioni juridicae*, absolutè auferenti censuram et non ad effectum dumtaxat, necnon *poenitentiae juridicae*, quotiescumque dispensatur super impedimento delictum importante, puta super crimine, vel quando dispensatur ob causas inhonestas, quales sunt incestus, praegnantia, copula, concubinatus et ita porrò.

Poenitentia juridica distinguitur a poenitentia sacramentali : haec injungitur in satisfactionem pro peccatis *coram Deo*, prior imponitur in satisfactionem pro culpa admissa *coram Ecclesia*.

Absolutio juridica continetur in formulae insertae verbis : « in specie ab iis (censuris et poenis), quas ob praemissa (concubinatum) incurristis, absolventes....».

(4) Clausulae intenduntur illae de quibus modò suprà, sub n. 41, coll. n. 53 infrà, spectantes casum dispensationis super ordine, voto sollemni, disparitate cultus aut mixta religione.

(5) Potestas dispensandi super impedimento matrimonii importat potestatem *legitimandi* prolem, excepta prole adulterina vel sacrilega ; imo, juxta can. 1051, quando dispensatur vi potestatis

Instrumentum autem dispensationis conservetur in archivo pastorali, et dispensationis notitia inseratur in libro matrimoniorum ac communicetur Episcopo.

45[1]. En *formulam*, quae usurpari posset in casu :

« N., parochus N., dioecesis Brugensis.

Dilectis nobis in Christo N. et N., parochianis meis (2), salutem in Domino.

Cum, tenore canonis 1044, quilibet parochus, urgente periculo mortis, ad consulendum conscientiae vel legitimationi prolis, ubi loci Ordinarius adiri nequit, dispensare possit « tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta, consummato matrimonio » ; cumque nobis constiterit periculum mortis imminere et tempus deesse ut habeatur Ordinarius loci ; constito etiam de scandali remotione per malae vitae retractationem coram duobus testibus factam : Vos a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum praesentis gratiae consequendae (et in specie ab iis quas ob praemissa incurristis), absolventes et absolutos fore censentes (parti moribundae obligationem injungentes recitandi semel actum contritionis, partem vero benè valentem condemnantes ut quotidiè per annum recitet contritionis actum), vobiscum, eadem invocata facultate, dispensamus super impedimento... ut, non obstante hoc impedimento, matrimonium inter vos in facie Ecclesiae validè et licitè contrahere valeatis. Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam declaramus.

Datum N., die..., mensis..., anni... ».

---

ordinariae vel vi indulti generalis, in ipso dispensando super impedimento conceditur legitimatio prolis. Norma tamen est ut expressé indulgeatur legitimatio, ubi casus ferat, et praestat ut peragatur in ipso dispensationis instrumento.

(1) M., 894, coll. n. 890.

(2) Si sint extranei, indicetur domicilium. Sub n. 39, vidimus quod parochus potest dispensare, in periculo mortis, cum non parochianis, in parochia degentibus.

II. **Si solum innotuit impedimentum fori interni** (1) :

46(2). A. Si a confessario dispensatur *in foro interno sacramentali :*

1° Dispensare debet confessarius *in actu sacramentalis confessionis.* Requiritur ergo, idque ad valorem, confessionem institui *sacramentalem*, peractam scil. in ordine ad absolutionem sacramentalem; non autem opus est ut absolutio sacramentalis concedatur, ac ita validè confessarius dispensat, quando absolutio a peccatis nulliter impertitur vel ob indispositionem poenitentis differenda censetur: quo tamen altero casu praestat, si aliunde nihil obstat, dispensationem differre.

2° Antequam ad dispensationem procedat, debet confessarius providere poenitentiae acceptationi et, si locus sit, remotioni occasionis proximae (3).

47(4). 3° *Fulminatio*, seu ipsa concessio dispensationis, sic peragatur. Nimirum, praeviè data absolutione a censuris ad effectum, necnon, pro opportunitate, absolutione juridica seu absolutione a censuris absoluta (suprà, n. 44), *viva voce* declaret confessarius sese super impedimento dispensare, vi can. 1045 vel auctoritate episcopali (5), pro diversa facultate qua utitur confessarius ; dein

(1) Attentis dictis sub n. 41, haec hypothesis obtinere potest in periculo mortis et in casu urgente.

(2) M., 895, 880.

(3) Huic alteri clausulae passim locus erat in dispensatione super *affinitate illicita:* ad cujus clausulae observationem sufficiebat occasionem, si erat necessaria, reddere ex proxima remotam, notando quod poterat confessarius dispensationem concedere, si poenitens ita sincère promittebat se deserturum esse occasionem, ut ad sacramentalem absolutionem accipiendam dispositus judicaretur.

(4) M., 895, 886.

(5) Ita ubi commutando-dispensatur, extra casum urgentem, super votis non reservatis. Cf. suprà, n. 42.

prolem legitimet (1); tandem sacramentaliter absolvat a peccatis, in quantum nihil obstat, et poenitentiam imponat sacramentalem.

Formula absolutionis a censuris est eadem quae, in *Rituali*, praecedit absolutionem sacramentalem: *Dominus N. J. C....*, opportunè inserta mentione specialis delicti admissi; quae absolutio simul est *ad effectum*, pro censuris indeterminatè omnibus, et *absoluta* relatè ad censuras, quarum suspicio habetur. Immediatè connectitur decretum fulminationis et, ubi locus est, legitimationis, in hunc v. gr. modum :

« Dominus N. J. C. te absolvat et ego auctoritate Ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti (signanter ab excessibus admissis, necnon a poenis et censuris quas ob praemissa forsan incurristi), in quantum possum et tu indiges.

Insuper, auctoritate mihi in can. 1045 (vel 1044) concessa (vel auctoritate episcopali mihi delegata) dispenso tecum super impedimento (2).... ut, eo non abstante, cum muliere quam ducere intendis, matrimonium publicè, in forma can. 1094, contrahere, consummare et in eo permanere valeas. Eadem auctoritate prolem (susceptam et) suscipiendam exinde legitiman fore nuntio et declaro. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen » (3).

« Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et Spir. S. — Passio Domini N. J. C.... ».

---

(1) Supponitur proles non adulterina nec sacrilega. Potestas autem legitimandi continetur in facultate dispensandi. Cf. n. 44.

(2) Insere determinationem impedimenti, v. gr., si dispensandum occurrat impedimentum criminis absque machinatione, dicatur :... super impedimento criminis, contracto per adulterium et promissionem (vel attentationem) matrimonii cum sponsa tua (sponso tuo), ut...

(3) Si confessarius ex improviso sistatur coram necessitate sic dispensandi nec prae manibus habeat formulam quam sequatur, ne formidet ac sciat sufficere ut elementa salventur substantialia, ut nempe invocet auctoritatem virtute cujus dispensat, ut ritè determinet impedimentum ac formiter declaret se dispensare.

48[1]. Si a parocho (vel a simplici sacerdote) dispensatur *in foro interno extrasacramentali :*

Dispensetur sive *scripto* documento, post usum dilacerando, cum pseudo-nominibus, et omissis aliis quibus identitas innotescere posset, sive *viva voce*, extra confessionem sacramentalem, servata de caetero norma proposita pro fulminatione in foro sacramentali.

Quodsi aliqua suspicio datur quod occultum impedimentum posset evadere publicum, opportune transmittetur dispensationis notitia ad Curiam episcopalem, secretò notificatis nominibus, ad hoc ut, ad normam can. 1047, in secreto archivo inscribatur sicque suffragetur, occasione data, in foro externo.

49[2]. *Nota.* 1. Quando dispensatur super impedimento *criminis*, cum utraque parte est dispensandum ; ideo deberet, in quantum adjuncta ferunt (non agitur de validitate), utrique parti dispensatio concedi, et utrique parti poenitentia cum reliquis injungendis imponi. In specie, quod spectat dispensationem in foro sacramentali : confessarius curare deberet ut pars, ex cujus confessione supponitur innotuisse criminis impedimentum, alteram partem moneat de confessione in hunc finem instituenda, sive coram eodem confessario sive coram distincto.

2. Quando commutando-dispensatur super votis non reservatis (n. 42), in specie super voto non reservato castitatis : pro commutatione rationem habeat confessarius, licet ipsi stricto jure non adstringatur, disciplinae S. Sedis, sub n. 93 describenda. Ubi vero, in periculo mortis vel in casu urgenti, simpliciter dispensatur, non

(1) M., 895 et 897.
(2) M., 887, 889 et 897.

sunt voto castitatis substituenda opera pia, sicut in casu commutationis - dispensando ; sufficit imponere unum alterumve opus in poenitentiam.

50[1]. III. **Si simul obstare noscitur impedimentum fori externi et impedimentum fori interni** (2) :

1° Dispensandum est seorsim super impedimentis *fori externi*, servato processu sub n. 44 et 45 descripto, et super impedimentis *fori interni*, respective servato processun n. 47-49 descripto, et hoc attento quod, in dispensando pro foro interno, simul sit convalidanda dispensatio concessa pro foro externo.

Haec convalidatio requiritur, quia dispensatio pro foro externo concessa est invalidè coram foro conscientiae ; quae dispensationis nullitas ex eo oritur quod data sit super solo impedimento fori externi, omisso impedimento fori interni, quodque omnia impedimenta, exceptis excipiendis, sint, sub poena nullitatis, simul dispensanda; satis autem est ut dispensatio sanetur pro foro interno.— Pro dicta convalidatione sufficit inserere, in formula sub n. 47 proposita, ante legitimationis denuntiationem: « insuper eadem auctoritate convalido dispensationem in foro externo invalidè concessam super impedimento.... », addita scil. accurata ejusdem impedimenti nulliter dispensati descriptione. Cf. infrà, n. 62 et 66.

51. 2° Ab hac norma, juxta quam invalida est dispensatio, nisi super omnibus impedimentis simul dispense-

(1) M., 896.

(2) Hypothesis spectat casum parochi (vel et simplicis sacerdotis, in casu can. 1098), impedimentum utriusque speciei detegentis in periculo mortis, deficiente tempore adeundi Ordinarium : potest tunc, juxta dicta sub n. 41, dispensare super impedimentis fori externi necnon super impedimentis fori interni, idque, quod spectat impedimenta fori interni, vel in foro extrasacramentali, qua parochus, vel in foro sacramentali, qua confessarius.

tur, adeoque juxta quam requiritur convalidatio in foro interno, ab hac, inquam, norma *excipitur* dispensatio super votis non reservatis, super quibus dispensaretur vi potestatis ab Ordinario delegatae (n. 42, sub B). Cf. n. 62 et 66.

52. *Nota.* Non est confundenda hypothesis concurrentium impedimenti occulti et impedimenti publici, cum hypothesi in qua, postquam impedimentum publicum fuit ritè dispensatum, novum *contrahitur* impedimentum fori interni, puta per emissionem voti castitatis. In hac altera hypothesi, impedimentum occultum habetur uti solum existens, et reincidimus in hypothesim de qua sub II, n. 46 ss.

Paragraphus 1ª. De dispensatione a parocho vel confessario procuranda.

53. Supponimus igitur parochum vel confessarium, cui innotescit impedimentum, omni potestate dispensandi destitui, quemadmodum, salva facultate dispensandi super votis non reservatis, passim continget quando tempus praesto est recurrendi ad Ordinarium, vel etiam ubi recursus est quidem impossibilis, sed agitur, in casu urgenti, de impedimento fori externi.

Punctum I. De petitione dispensationis.

§ 1. **A quonam recurrendum.**

I. Pro foro externo.

54[1]. Recursus instituendus est a *parocho*, et quidem regulariter a parocho sponsae, sive immediate, si impetranda est dispensatio episcopalis, sive mediante Ordi-

(1) M., 840 ss.

nario, si impetranda est dispensatio S. Sedis. Cf. suprà, n. 38.

II. **Pro foro interno.**

55. 1° Pro foro interno *extrasacramentali*, si exceptionaliter recursui in hoc foro locus sit, recurrendum est *a parocho*.

2° Pro foro interno *sacramentali*, recursus instituendus est *a confessario*, et quidem melius *immediatè*, etiam in recursu ad S. Sedem. Potest tamen confessarius, cui incumbit recursus Romam, uti intermedio Ordinarii seu Officialis, sive pro mera transmissione postali supplicae a confessario confectae, sive etiam, salva restrictione de qua infrà, sub. n. 67, pro ipsa redactione supplicae, quando confessarius propriae experientiae non confidit.

§ 2. **Quo recurrendum.**

56[1]. **In periculo mortis,** ubi dispensare nequit parochus vel confessarius, quia recursus fieri potest ad Ordinarium, recurrendum, tam pro foro *externo* quam pro foro *interno*, ad *Ordinarium:* qui, vi can. 1044, dispensare potest super omnibus impedimentis, sub n. 41 enumeratis, exceptis duobus ibidem memoratis.

57[2]. B. **In casu urgenti**, deficiente tempore pro adeunda S. Sede, non autem pro adeundo Ordinario, recurrendum est *ad Ordinarium*, tum pro foro interno, tum pro foro externo.

Etiam, in casu quo ita instat matrimonii celebratio ut deficiat tempus adeundi Ordinarium, si agitur de impedimento *fori externi*, super quo vidimus non posse

(1) M., 834.
(2) M., 834.

dispensare nec parochum nec confessarium, in casu, recurrendum foret, pro dicto foro *externo*, ad *Ordinarium*, dilata matrimonii celebratione, ad normam dictorum sub n. 35.

Dispensare potest Ordinarius super iisdem impedimentis ac in periculo mortis, non excepta, uti videtur, clandestinitate.

58 (1). C. **Extra periculum mortis et casum urgentem:**

1° Pro impedimentis *dubiis dubio facti* et pro *votis non reservatis:* ad *Ordinarium* (2).

2° Pro reliquis impedimentis : ad *S. Sedem*, nisi exceptionaliter contingat Ordinarium, peculiari indulto muneri (3) : vi namque decreti S. Consist. 25 Aprilis 1918, abrogata sunt omnia indulta Ordinariis concedi solita *pro foro externo ;* et, si integra servantur indulta S. Poe-

---

(1) M., 834, 770.

(2) Posset etiam poenitens, pro votis non reservatis, dirigi ad *decanum*, ut ab ipso commurando-dispensetur in actu sacramentalis confessionis ; a decano autem non potest concedi facultas dispensandi, cum non habeat potestatem subdelegandi, nec potest obtineri dispensatio extrasacramentalis in forma gratiosa, cum ejus dispensandi facultas restringatur ad solum forum sacramentale. Idem valet de confessariis missionis et aliis confessariis, de quibus sub n. 42.

(3) *Exceptionaliter* conceduntur et concedi poterunt facultates speciales, etiam pro foro externo, non tantum in gratiam locorum S. C. de Pr. Fide subjectorum, quae non sunt obnoxia decreto S. C. Consist. anni 1918, sed et pro aliis locis : sive favore specialium adjuuctorum, uti factum est pro primis temporibus subsequentibus bellum, sive alio titulo.

Ita, vi dicti decr. S. C. Consist., conceditur ut locorum Ordinarii in America, in insulis Philippinis, in Indiis Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras, necnon in Russia : a/ dispensent super impedimentis *minoris gradus*, et etiam b/ super impedimentis *majoris gradus*, publicis et occultis, exceptis duobus sub n. 41 memoratis, necnon ab impedimento mixtae religionis, « si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit, et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu ».

nitentiariae, pro foro interno, in consuetis facultatibus a S. Poenitentaria concedi solitis, nulla occurrit dispensandi facultas, in ordine ad matrimonium contrahendum, extra casum urgentem (1).

59(2). *S. Sedes* hic intelligitur S. Congr. de Sacramentis, pro foro externo, et S. Poenitentiaria, pro foro interno, exceptione facta pro impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis, pro quibus recurrendum est ad S. Congr. S. Officii, necnon pro impedimento voti, quoad sodales religiosos, pro quo voto recursus est instituendus ad S. Congr. de Religiosis.

60(3). **Notanda.** 1° Ordinarius descriptam potestatem exercere potest in omnes et solos *dioecesanos*, sive ipse sive ipsi extra dioecesim actu degunt. Exceptio habetur pro potestate ipsi competente *in periculo mortis :* eam exercere potest etiam in *non dioecesanos*, actu commorantes intra fines dioeceseos; pariter dispensare potest super voto non reservato cum peregrinis (can. 1313, n. 1).

2° Uti jam monuimus, potestas dispensandi super impedimento importat potestatem *legitimandi prolem* non adulterinam nec sacrilegam ; imo, quando dispensatur ex potestate ordinaria vel vi indulti generalis, eo ipso conceditur prolis legitimatio.

---

(1) Inde est quod, extra periculum mortis et casum urgentem, recurrendum sit ad S. Sedem, secus ac antea, pro dispensanda consanguinitate in 3° gradu, pro publico crimine, absque machinatione, et ita porro.

(2) M., 747 s.

(3) M., 773 ss.

§ 3. Quomodo recurrendum.

I. Inserenda in supplica.

A. **Pro foro externo :**

61[1]. 1° « *Nomen et cognomen* oratorum, utrumque distinctè et nitidè, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum » (2).

2° « *Dioecesis originis vel actualis domicilii* ».

Sufficit igitur indicare dioecesim originis *vel* domicilii seu quasi-domicilii ; passim autem indicatur dioecesis domicilii et quidem domicilii sponsi ac sponsae.

Notetur autem, circa 1m et 2m, dispositio can. 47, juxta quam rescripta non irritantur ob errorem in *nomine* personae cui vel a qua conceduntur, aut *loci* in quo ipsa moratur, modò, judicio Ordinarii, non sit de ipsa persona dubitatio.

62[3]. 3° « *Species etiam infima impedimenti*, an sit consanguinitas vel affinitas... ; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii... » ; in publica honestate, utrum sit en matrimonio invalido vel ex publico concubinatu.

Error in impedimenti designatione vel ejusdem determinatione quoad speciem, irritat dispositionem, etiam ubi vitium soli incuriae amanuensis est adscribendum. Attamen, attento can. 47, modó invocato, non esset vitiatum rescriptum per erroneam determinationem datam impedimento, affinitatem v. gr. denominando publicam honestatem, modò ita describatur impedimentum ut de ipsa re non adsit dubitatio.

4° « *Gradus consanguinitatis* aut *affinitatis* aut *publicae honestatis*..., et an sit simplex vel mixtus, non tantum

(1) M., 844.
(2) Instr. S. C. de Pr. F., 9 Maii 1877.
(3) M., 845 ss.

remotior, sed etiam propinquior, uti et *linea*, an sit recta vel transversa ; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris quam ex parte matris ».

Circa quae nota a/ in linea collaterali *aequali*, juxta can. 1052, dispensationem super consanguinitate vel affinitate non irritari ob errorem circa gradum, « dummodò gradus revera existens sit inferior » ; adeoque non noceri dispensationis valori, quod gradus proximior exprimatur pro remotiori, ponendo v. gr. secundum pro tertio ; b in linea *inaequali*, exprimendum quidem esse utrumque gradum, sed id *non* requiri *pro valore*, ac sufficere ut indicetur gradus remotior, utpote qui trahit ad se proximiorem. Cf. can. 96, § 3 (1).

5° « *Numerus impedimentorum*, ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas aut aliud quodcumque impedimentum, sive dirimens sive impediens ».

Unde a/ si impedimentum multiplicatur, indicanda est *multiplicitas* (can. 11), attento tamen temperamento adducto per can. 1052, quatenus non irritetur dispensatio, licet reticita fuerit multiplicitas, *modò gradus reticitus non sit superior gradu exposito* (2) ; b/ si *plura* diversae speciei impedimenta *concurrant*, sunt omnia et singula memoranda, ratione tamen rursus habita exceptionis factae, pro impedimentis super quibus Ordinarius dispensare potest ex potestate ordinaria, extra periculum mortis et casum urgentem, pro impedi-

(1) Ad vitandos errores in computatione graduum, decrevit Episcopus Brugensis : « Si dispensatio petatur in impedimentis, quae ex consanguinitate vel affinitate oriuntur, libello supplici addenda est *arbor genealogica*, in qua notentur nomina parentum ex quibus oratores descendunt, ascendendo usque ad communem stipitem ». Quae ordinatio non spectat supplicam ad S. Sedem mittendam, sed libellum a parocho ad Ordinarium dirigendum pro impetranda dispensatione episcopali vel pro praeparanda supplica Romana. Cf. suprà, n. 10 et 11.

(2) Etiam non irritatur dispensatio per errorem materialem in computatione, modò casus exponatur uti est. Porro providetur in *Libro manuali* Brugensi, ed. 2ª, p. 189, ut, ad errores praecavendos, supplicae pro obtinenda dispensatione super consanguinitate vel affinitate adnectatur arbor genealogica *completa*.

mentis proinde voti non reservati et impedimentis dubiis ac bannis (1) : haec nempe seorsim exponi possunt.

63 (2). 6° Invocandae sunt *causae* proportionatae canonicae, omittendo infamantes occultas, tacendo etiam infamantes notas, si causae honestae adsunt sufficientes, ne scil. clausulae gravantes injungantur a dispensationis auctore.

Causae *canonicae* praecipuae et frequentiores sunt a/ *aetas superadulta*, si nempe mulier, cui soli proficit haec causa, egressa sit 24^{m} annum, quin jam requiratur eam virum paris conditionis non invenisse; b/ *paupertas viduae*, quae nempe numerosa prole sit onerata, eamque alere polliceatur sponsus; et haec causa propria mulieris potest jam, attenta praxi S. Sedis, extendi ad viduum; c/ aetas viduae *junioris;* d/ nimia *suspecta familiaritas*, vel cohabitatio sub eodem tecto; e/ *copula* et praesertim *praegnantia* cum legitimanda prole; f/ *infamia* mulieris, orta ex suspicione, licet falsa, copulae habitae; g/ *periculum* vitandum *concubinatus*, *matrimonii civilis*, *matrimonii mixti*, *scandalorum*. Minus frequens causa est *angustia loci*, quando nempe mulier habitat in loco angusto, id est in agglomeratione quarta parte leucae distante ab alio vico, et non continente ultra 1500 incolas catholicos: quae causa non valet nisi pro sponsa et pro solis impedimentis consanguinitatis et affinitatis.

Notetur autem quod, praeter causas canonicas, possunt aliae simul invocari qua roborantes et impulsivae; imo, in defectu causae canonicae, possunt nonnunquam plures causae non canonicae, quae singillatim sumptae mère impulsivae sunt, constituere, quando simul sumuntur, causam motivam.

(1) Cum hac norma connexa est regula de omnibus impedimentis simul dispensandis, salva exceptione inducta. Cf. suprà, n. 50 s. et infrà, n. 66.

(2) M., 812 sś.

Hujusmodi causae sunt v. gr. periculum seductionis pro oratrice, parentum orbitas, infirmitas seu deformitas physica, vesana libido, indigentia, pro viro, mulieris, ad rem domesticam gerendam, mutuum auxilium oratorum aetate provectorum. Item causae fere adimplentes conditiones causae canonicae, uti aetas puellae 23 annorum, vel locus 1500 incolis paulo amplior (1).

64[1]. *Nota* 1° Debet fieri mentio prolis legitimandae, si nata est proles aut nascenda praevidetur ante dispensationis fulminationem.

2° Reliqua quae spectant oratorum *religionem, aetatem, familiam, qualitatem, per se* non sunt exprimenda *pro valore*, sed tantùm *per accidens*, ratione causae invocatae: uti contingere potest cum viduitate oratricis, vel cum aetate sponsae, licet etiam tunc annorum numerus non est accuratè determinandus, et sufficit sponsam declarare superadultam, seu 24 annis majorem.

Attamen plura ex illis, pro variis adjunctis, vel *solent* memorari vel ad *liceitatem* sunt indicanda. Ita religio debet exprimi, si una pars est acatholica; aetas memoranda est in gradibus propinquioribus consanguinitatis et affinitatis ac in cognatione spirituali inter levantem et levatum, ac generatim indicari solet apud nos in quocumque casu; familiae honestatem expedit testari ubi agitur de proximioribus gradibus, et praesertim ubi allegatur angustia loci; mos etiam est ut coelibatus seu viduitatis fiat mentio.

3° Ubi ad Ordinarium recurritur pro obtinenda dispensatione in impedimento, super quo non habet potestatem dispensandi nisi ratione urgentis necessitatis,

(1) Circa proportionem servandam inter impedimentum et dispensationis causam, cf. suprà, n. 34, in nota.

hujus necessitatis est facienda mentio in supplica, notando cujusnam gravis mali periculum ex matrimonii dilatione oriretur.

4° Quando recurrendum est ad S. Sedem, pro dispensatione super *disparitate cultus* et *mixta religione*, testari debet parochus, in supplica provisoria ad Ordinarium, de bona partium dispositione circa consuetarum clausularum observationem.

B. **Pro foro interno :**

65[1]. Omittenda sunt omnia ex quibus innotescere possunt oratores : nomina nempe propria, quorum loco adhibeantur nomina ficta (uti Titius et Titia), qualitas, aetas et alia hujusmodi ; quod attinet *dioecesim*, ejus mentio non requiritur, nisi indirectè et pro solis dispensationibus episcopalibus, quatenus notari oportet oratores, vel saltem partem cum qua ab Episcopo est directè dispensandum, ejusdem esse subditam, omissa utique mentione parochiae.

De caetero, quae spectant impedimenta eorumque determinationem necnon circumstantias exprimendas et causas, eadem valent pro dispensationibus in foro interno, quae pro dispensationibus in foro externo, juxta juris dispositiones enumeratas suprà, sub nn. 61 ss., nisi quod causae inhonestae etiam occultae possunt hîc facilius invocari.

Dicta sub hoc numero, necnon dicenda sub duplici numero sequenti, spectant imprimis recursum a confessario institutum pro foro sacramentali ; valent autem pariter, pro recursu exceptionaliter instituendo a parocho, pro foro interno extrasacramentali (cf. n. 55, coll. n. 38), hac salva cautela quod, si opportunum judicetur provi-

(1) M., 851.

dere ut dispensatio suffragari possit etiam in foro externo, communicari debeant Ordinario, extra supplicae tenorem, nomina oratorum, quatenus, ad normam can. 1047, adnotetur dispensatio in secreto Curiae archivo.

C. **In concursu impedimenti fori externi cum impedimento fori interni:**

66[1]. Attento principio, sub n. 50 et n. 62, invocato, requiritur *duplex recursus*, ita institutus ut in recursu pro foro interno mentio fiat, non modò impedimenti fori interni, sed et impedimenti fori externi, necnon dispensationis super hoc impedimento in foro externo impetratae.

Quando igitur *confessarius*, cui revelatum est impedimentum fori interni, novit eidem matrimonio simul obstare impedimentum fori externi:

a) Si jam obtenta est dispensatio in foro externo, sufficit quod confessarius id notet in supplica, et postulet, praeter dispensationem super impedimento fori interni, convalidationem pro foro conscientiae dispensationis in foro externo nulliter concessae. Cf. suprà, n. 50.

b) Si nondum est dispensatum pro foro externo: remisso poenitente ad parochum, qui recurrat pro foro externo, dispensationem petendo super impedimento publico, confessarius instituet recursum pro foro interno, ac in sua supplica postulabit dispensationem super impedimento occulto, mentionem faciendo dispensationis petitae vel concessae nulliter super impedimento fori externi, ac sollicitando convalidationem opportunam (2).

Quodsi confessarius sit parochus, cui incumbit recursus pro foro externo, distinctum instituat recursum,

(1) M., 852.
(2) Cf. *Form. 9*, ad calcem.

unum, qua parochus, pro foro externo, alterum, qua confessarius, pro foro interno, juxta normam indicatam.

Exceptio habetur pro impedimentis dubiis et pro votis non reservatis, a quibus dispensare potest Ordinarius seorsim, et pro quibus proinde recurri potest ad ipsum, independenter a concursu cum aliis impedimentis. Cf. suprà, n. 51.

67[1]. **Nota**. In casu quo, juxta dicta sub n. 66, *duplex recursus* est instituendus, sedulò vitandum est periculum laedendi sigillum vel infamandi sponsos: quod periculum nonnunquam adesse potest, non obstante distincto recursu. Nimirum, si in uno et altero foro recurritur ad Ordinarium, pro obtinenda dispensatione episcopali, Ordinarius, recipiens ambas supplicas eodem fere tempore et ex eodem loco transmissas, idemque impedimentum publicum referentes, facilè suspicabitur impedimentum occultum illas afficere personas quae in libello supplici fori externi designantur ; quod pariter fiet ubi agitur de impedimentis a S. Sede dispensandis, si, uti saepe fit, suplica fori interni Officiali committatur conficienda et Romam transmittenda.

Equidem, quod spectat sigilli fractionem, difficultas evanescet, praeviè obtento, in quantum est opus et salvis cautelis modò indicatis, consensu poenitentis, quem consensum facilius praestabit, cum hîc fama non exponatur certae laesioni sed meris dumtaxat suspicionibus penes Officialem Episcopi, caeteroquin secreto obstrictum. Atvero dari possunt rerum circumstantiae tales, ut Titium ne quidem dictae suspicioni exponere liceat, nec consensus ad hoc postulari queat, puta si spectatae sit conditionis, vel ipsi forsan Officiali non ignotus. Optimum

(1) M., 853.

tunc et efficax remedium est *in recursu directo* ad S. Poenitentiariam, pro foro interno, absque intermedio Officiali, vel hujus intermedio non adhibito nisi pro mera transmissione supplicae clausae, juxta notata sub n. 55.

Quae solutio supponit tempus adesse adeundi S. Sedem. Potest autem fieri tempus illud deficere, ita ut aliter nequeat casui provideri nisi per recursum ad Ordinarium: quo casu ita procedatur ut recurratur pro foro interno ad ipsum Episcopum, potius quam ad Officialem. Qui recursus fiat vel directè et personaliter adeundo Illustrissimum, vel mittendo epistolam in qua, praeter indicationem: « confidentielle, personnelle », petatur, addita ratione, ut ipse Episcopus, per seipsum et sine ministerio Officialis, opportunam dispensationem concedere dignetur.

In memoriam revocamus notam positam ad calcem num. 65, dicta scil. sub hoc duplici num. 66 et 67, spectare non tantum recursum pro foro interno sacramentali, sed etiam, proportione servata, recursum ad forum internum extrasacramentale.

II. Expensae.

A. Pro foro externo.

68[1]. 1° Quando petitur dispensatio *apostolica*, indicare debet parochus utrum sponsi sint *miserabiles*, viventes scil. labore manuum, vel *pauperes*, quando nempe ambo simul non habent 1500 francorum, computata pro media parte fortuna in spe, vel *quasi-pauperes*, habentes nempe fortunam non excedentem 2500 fr., vel *divites*. Pro quasi-pauperibus et divitibus indicetur status approximativus fortunae, ratione etiam habita stabilium redituum, v. gr. ex munere quo quis fungitur.

(1) M., 858 s.

Ipse autem Ordinarius, in Belgio, determinat taxam quam solvendam offerant oratores; haec autem taxa, simul comprehensis expensis pro posta, agentia et executione rescripti, huc circiter redeunt, in dioecesi Brugensi: nempe 6 tantum franci exiguntur a pauperibus, signanter miserabilibus; 10 franci a quasi-pauperibus vel summa leviter major, quae summa augetur pro divitibus, pro crescente fortuna; ubi dispensatur super disparitate cultus vel mixta religione, S. Officium, cui taxandam summam relinquit Ordinarius Brugensis, non-pauperibus solvendos imponit 31 francos: 15 pro taxa, 8 pro agentia et 8 pro executione.

Bonum est ut parochus, antequam recurrat, sciat sponsos paratos esse ad solvendum, vel curet pecuniam ante ipsum recursum deponi. Prudenter etiam, caute et delicatè procedat parochus in inquisitione facienda circa statum fortunae sponsorum, nec scrupulosius urgeat illam inquisitionem, eo vel magis quod, sub disciplina Curiae reformatae, error in fortuna jam non possit ullatenus irritare dispensationis rescriptum.

2° Pro dispensatione *episcopali*, nihil ests olvendum, salva forsitan modica aliqua (pro non pauperibus) praestatione, quam, juxta can. 1056, solam exigere potest Ordinarius, titulo expensarum Cancellariae.

B. **Pro foro interno.**

69. Dispensationes pro foro interno conceduntur *gratis*. — Sufficit proinde solvere expensas postales in recursu ad S. Sedem, in litteris includendo, pro liberatione responsi a taxa postali, sic dictum coupon-réponse international (wederlandsch antwoordbewijs). Quodsi impetretur dispensatio Romana per mediam Officialitatem episcopalem, superaddenda est pecuniae summa pro agentia (passim, in dioecesi Brugensi, circiter 5 franci).

III. CONFECTIO SUPPLICAE.

A. Pro foro externo.

70[1]. 1° Pro dispensatione *episcopali*, supplica conficitur *nomine oratorum*, partium scil. dispensationeindigentium; et quidem nomine *utriusque* sponsi, si uterque est catholicus et utrique commune est impedimentum, nec unius partis delicto nititur (2); nomine *unius* partis tantùm quando una dumtaxat pars est catholica (3), vel afficitur impedimento absoluto (4), voto v. gr., ordine, aut, si agitur de impedimento relativo seu communi, ex unius delicto oriente, quemadmodum obtinet cum impedimento publicae honestatis ex concubinatu publico.

2° Supplica pro *dispensatione apostolica*, a parocho mittenda ad Ordinarium, non est supplica propriè dicta, i. e. non est nisi supplica provisoria, huc tantum spectans ut elementa subministrentur Officiali ad supplicam definitivam conficiendam. Solet tamen confici in forma supplicae propriè dictae, ac in stylo Curiae, nomine oratorum amborum vel alterutrius ipsorum, cum hac differentia quod non directè postuletur dispensationis gratia, sed petatur ut a S. Sede obtinenda curetur (5).

71[6]. *Nota* 1. Licet in utroque recursu, sive pro impetranda dispensatione episcopali sive pro obtinenda dispensatione apostolica, ad Ordinarium recurrere debeat

(1) M., 854 s.

(2) Cf. *Form.* 1.

(3) *Form.* 4.

(4) Cf. *Form.* 2. Si utraque pars esset obnoxia impedimento absoluto, esset nomine duarum singillatim partium, cum distincta supplica, recurrendum.

(5) Cf. *Form.* 3, ubi habes specimen formulae provisoriae parochi et formulae definitivae Officialis. Cf. etiam *Form.* 4.

(6) M., 856 s.

parochus, importat tamen ut sciat parochus utrum dispensatio ab Episcopo concedi possit vel a S. Sede dumtaxat: diverso namque modo conficienda est supplica, uti ex dictis liquet, prout impetranda est dispensatio episcopalis vel dispensatio apostolica. Caeterùm diutius est expectandum rescriptum apostolicum quam dispensatio episcopalis: quod utile, ac imo necessarium est parocho scire. Tandem differentia notanda habetur quod spectat expensas.

2° Regula est ut supplica *scripto* consignetur, et *regulariter* non licet recurrere *via telegraphica; exceptionaliter* tamen id hucusque permittebat Episcopus Brugensis pro dispensatione episcopali, in casu urgenti et deficiente alio modo recurrendi: quae licentia meritò supponitur servari; ad dictam autem viam telegraphicam (vel telephonicam) non semel continget utiliter recurri in casu urgenti, quando agitur de impedimento fori externi, cum in eo casu et super illo impedimento dispensare possit Ordinarius, non autem parochus. Cf. suprà, n. 57, coll. n. 35.

B. **Pro foro interno.**

72[1]. 1° Quod spectat dispensationem *episcopalem*, valent dicta pro supplica fori externi, mutatis mutandis, in specie pro usu pseudo-nominum.

2° Quod spectat dispensationem *apostolicam* : a/ si confessarius redactionem supplicae committit Officiali, sufficit ut huic subministrentur elementa, licet melius sit et praxi conformius ut in stylo Curiae redigatur, juxta normam suprà (n. 70) descriptam et in formulis ad calcem adnexis applicatam (2); b/ si, quod nonnunquam

(1) M., 854 s. et 857.

(2) Cf. *Form. 10 et 11*, ad calcem.

requiri vidimus, ipse confessarius supplicam conficiat, inscribenda est Cardinali M. Pœnitentiario, quem alloquatur confessarius ; decet ut idioma latinum vel italicum, gallicum, germanicum, anglicum, hispanicum, praesertim verò latinum adhibeatur, excepta directione (adresse) confessarii, vernacula lingua nitidè proponenda, omissa tamen mentione dioeceseos (1) ; dirigatur autem supplica Romam, sive ab ipso directè confessario, ad ipsum scil. Card. Poenitentiarium, in palatio Cancellariae, vel transmittenda committatur supplica clausa Officiali, qui eam Romam transmittet et ad S. Poenitentiariam deferendam curabit per agentem (2). Cf. n. 67 et 75.

Quae dicta sunt de redactione supplicae a confessario, applicantur redactioni supplicae exceptionaliter conficiendae a parocho, pro foro interno extrasacramentali.

Nota. Vidimus (n. 71) Episcopum Brugensem permittere *recursum telegraphicum* ad suam Curiam, in casu omnino urgente. Ast, attenta amplissima facultate pro foro interno concessa, in periculo mortis et in casu urgente, hujusmodi recursui telegraphico ad Ordinarium vix adhuc est locus in foro interno ; quotiescumque enim non potest ad Ordinarium recurri aliter quam via telegraphica, censetur tempus deficere ad recursum, et eo ipso cuicumque parocho et confessario competit potestas dispensandi.

---

(1) Cf. *Form. 12.*

(2) Agitur hic de utendo ministerio Officialis pro *mera transmissione postali.* « La supplique sera alors fermée, cachetée, affranchie, avec l'adresse au Cardinal Grand Pénitencier. Le confesseur ajoutera une lettre d'accompagnement dans l'enveloppe qui contient le pli cacheté. Cette lettre exposera qu'ayant à soumettre à la Pénitencerie un cas de conscience, on prie l'Ordinaire de faire parvenir la supplique à destination, et de transmettre, à son temps la réponse, qui plus tard sera remise fermée au confesseur ». ROUSSEAU, *Renseignements pratiques*, n. 57.

Punctum II. De officio parochi et confessarii post acceptam dispensationem.

§ 1. **Quoad dispensationes episcopales.**

I. Pro foro externo.

73[1]. Solent passim concedi *in forma gratiosa*, ita scil. ut ipse Episcopus vel Vicarius generalis dispensationem impertiatur et dispensandis applicet. Nimirum, scripto utens documento, facta mentione potestatis ordinariae vel, si agatur de potestate delegata, delegationis apostolicae, cum inserto tenore, absolvit Ordinarius ad effectum, et, si locus sit, absolutionem dat juridicam ac injungit poenitentiam et alias clausulas; post quae formiter declarat se dispensare et, ubi casus ferat, prolem legitimare; rescriptum autem remittit ad parochum qui preces obtulit.

En *formulam*, quae adhiberi solet ab Ordinario Brugensi, dispensante *in casu urgente :*

« Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert, Episcopi Brugensis.

Dilectis Nobis in Christo N. N..., dioecesis Brugensis, salutem in Domino.

Vi potestatis Nobis collatæ canone 1045, § 1 (2), dispensandi super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio,... quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia sint parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabil gravis mali periculo, differri possit usquedum a S Sede dispensatio obtinea-

---

(1) M., 860, 890.

(2) Hæc formula spectat dispensationem in casu urgenti. Si Ordinarius dispensat in periculo mortis, invocet can. 1043, cum tenore correspondente : hoc attento quod tunc dispensare potest cum *non subditis*, in dioecesi commorantibus.

tur » ; vos qui in hujusmodi casu urgenti versamini quibusvis sententiis, censuris en poenis ecclesiasticis, ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendae, absolventes et absolutos fore censentes, ob causas animum nostrum moventes et dummodo vera sint exposita, vobiscum dispensamus super impediment..., ut matrimonium inter vos in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, licitè et valide contrahere possitis ; dummodo tamen aliud (salva dispositione can. 1052), non obstet impedimentum canonicum, mulier rapta non fuerit, aut, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.

Datum Brugis, die.... (1).

---

(1) Sub disciplina ante Codicem in usu, Ordinarius Brugensis, quando pro foro externo dispensabat super impedimento reatum importante vel *ob causas inhonestas*, imponere solebat clausulas quasdam speciales, in specie poenitentiam et scandali reparationem, et hasce clausulas injungendas inserebat *in distincto folio*, sequentis tenoris :

» Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert, Episcopi Brugensis.

Oratoribus, quibuscum, vi hisce adnexi instrumenti, dispensamus, nomine nostro injungatur ut... pro salutari poenitentia... et, si adsit scandalum, hoc reparent modo, judicio parochi determinando, ac maximè, si fortè cohabitent, per separationem saltem triduo duraturam, quoad fieri potest. — In nota autem addebatur : « modus (reparandi scandalum) ab AA. commendatus requirit ut coram parocho et duobus testibus a Deo veniam implorent de delictis commissis et scandalo inde orto » ; quae nota spectat casum quo separatio institui nequit. Cf. infrà, n. 83 et suprà, n. 44.

Brugis.... 191.... ».

Pariter instrumenio dispensationis adnectere solebat etiam *distinctam pagellam*, ubi dispensandum occurrebat *super publico crimine*, in qua rursus pagella infamantes clausulas inserendas curabat :

« Reverende Domine Pastor,

Oratoribus, quibus adjuncta dispensatio conceditur, pro gravi poenitentia salutari injungimus et singuli, per quatuor hebdomadas, quotidie recitent ter *pater* et *ave*, ac semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis ; atque insuper, per quatuor menses, confessionem sacramentalem semel in mense instituant.

Sciant praeterea se ad reparandum scandalum grave ab ipsis datum teneri ; modus autem illius reparationis sit, v. gr., veniam a Deo petere coram parocho et duobus testibus ; vel alius judicio parochi determinandus.

Praesentibus comburendis. Veneranter signo... ».

74[1]. Accepto hoc dispensationis instrumento, *parochi est* dispensationem concessam *communicare* cum oratoribus, imponendo, nomine Ordinarii, poenitentiam, si detur, in ipso dispensationis instrumento vel in folio adnexo determinatam, necnon et alias, si quae sint, clausulas.

Re confecta, documentum conservetur in archivo pastorali, ac notetur dispensatio in registro matrimoniali.

II. **Pro foro interno.**

75[2]. Hae quoque dispensationes, in dioecesi Brugensi, quemadmodum in reliquis dioecesibus Belgii, solent ab Ordinario concedi *in forma gratiosa*, adeo ut ipse Ordinarius, salva verificatione precum, integram executionem per seipsum peragat, idque scripto et *extra sacramentalem confessionem*. Remittitur autem rescriptum ad confessarium, qui preces transmisit, vel, exceptionaliter, ad parochum qui recursum instituit pro foro interno extrasacramentali.

Porro confessario (vel parocho) merum incumbit onus sponsis absolutionem, dispensationem et prolium legitimationem cum parte in cujus gratiam fuit directe dispensatum communicandi, clausulis, si eis sit locus, in specie poenitentia, praeviè nomine Ordinarii injunctis.

En specimen hujusmodi dispensationis episcopalis *pro foro interno :*

« Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert, Episcopi Brugensis.

Vi potestatis Nobis collatae canone 1045, § 1, dispensandi « super... obtineatur (uti suprà, n. 73), tenore praesentium (re confecta, statim dilacerandarum), Titium et Bertham, subditos dioecesis Brugensis, qui in hujusmodi casu urgente versantur, acceptata poenitentia infrà

(1) M., 891.
(2) M., 890 s.

descripta, a sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, si quibus quomodolibet sint innodati, ad effectum hujus gratiae consequendae tantum, necnon a quibusvis reatibus ac censuris aut poenis, ob causas in precibus allatas aut alias forsan contractis, absolventes et absolutos fore censentes, cum eisdem, quum tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, dispensamus super impedimento occulto criminis, ut matrimonium validè et licitè coram facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, inter se contrahere valeant, dummodo tamen nullum aliud obstet canonicum impedimentum, mulier rapta non sit, aut, si rapta sit, sub potestate raptoris non existat. Prolem susceptam sive suscipiendam exinde, non tamen in adulterio conceptam, legitimam decernimus ac respectivè nuntiamus.

Pro gravi autem poenitentia salutari injungimus ut uterque, per quatuor hebdomadas, quotidie recitet ter *pater* et *ave*, ac semel actus fidei, spei et charitatis et contritionis; statuimus insuper ut, per quatuor menses, confessionem sacramentalem semel in mense instituant ».

Quodsi Ordinarius dispensat in periculo mortis, invocabit can. 1043, cum tenore correspondente.

76[1]. Potest *communicatio* fieri, etiam a confessario, *extra confessionem*, hoc tamen attento quod, si agitur de impedimento sola scientia sacramentali cognito, oportet ut confessarius ad hoc praeviè obtinurit licentiam poenitentis. Notificatione facta, statim dilacerentur vel comburantur litterae dispensationis.

Ordinarius autem potest, juxta can. 1047, curare ut dispensatio sic extrasacramentaliter concessa inseratur in archivo secreto Cancellariae, ad hoc obtenta a parocho, scientiam extrasacramentalem habente, vel a confessario, poenitentis licentia munito, nominum oratorum notificatione.

77[2]. *Nota.* Ubi dispensatio, quemadmodum in quibusdam diœcesibus fieri solet, ab Episcopo conceditur *in*

(1) M., 891 s.
(2) M., 898.

forma commissoria (1), executio et fulminatio committitur confessario sive personaliter designato, sive a pœnitente electo vel eligendo ; confessarius autem, pro executione et fulminatione, sequatur normas, sub numeris proximè insequentibus accuratè exponendas, circa executionem et fulminationem dispensationis apostolicae : hoc solo attento quod, in fulminationis formula, loco auctoritatis apostolicae, invocetur auctoritas episcopalis delegata, si Episcopus dispensaverit ex potestate ordinaria.

---

(1) En specimen hujusmodi dispensationis in dioecesi Buscoducensi usurpari solitae, juxta POMPEN, *Tractatus de dispensationibus*, Amstelodami, 1897, n. 102 :

« Wilhelmus Van de Ven etc.....

R^do D^no... pro sequenti casu in confessarium electo, vel cuicumque sacerdoti in dioecesi Buscoducensi approbato, a poenitente in confessarium eligendo, salutem in Domino.

Juxta facultates.....

(Vi potestatis Nobis...) Tibi per praesentes potestatem facimus et tribuimus, quatenus, *si ita est*, uti in epistola tua d. d..... hisce annexa exponitur, dictos (oratores *aut* dictum oratorem *aut* dictam oratricem), audita prius (eorum *aut* ejus) sacramentali confessione, ac sublata occasione proxima, si qua adhuc existat, cum dict.. peccandi, a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis. quas propter praemissa quomodolibet incur....., incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scil. mensibus, vel quovis bimestri, ut minimum semel, pro tempore ad arbitrium tuum, peragenda. — Demum, dummodo impediment... praefat... occult... maneat aliudque canonicum non obstet impedimentum, et dummodo mulier rapta non fuerit, et, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, cum.... super impediment...., ut matrimonium cum..... et uterque inter se, praemissis non obstantibus, ritè et legitimè contrahere et in eo postmodum liberè et licitè manere valeant, ob causam vel causas expositas, scilicet..... misericorditer *dispenses*. Praeterea facultatem facimus prolem susceptam, si qua sit, dummodo concepta non fuerit ex adulterio, et suscipiendam exinde, legitimam declarandi.

Haec omnia in foro conscientiae, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non aliter neque ullo alio modo peragantur, praesentibus quoque post executionem laceratis aut aliter destructis.

Datum Buscoduci... ».

§ 2. **Quoad dispensationes apostolicas :**

I. **Pro foro externo.**

78[1]. Ad Ordinarium qui supplicam transmisit Romam remittitur rescriptum S. Sedis, quod solet concedi *in forma commissoria*, executione demandata eidem Ordinario.

En *specimen rescripti*, e S. C. de sacramentis emanantis :

« Beatissime Pater.

N. N..., e dioecesi N..., et N. N...., e dioecesi eadem, matrimonium inire cupientes, humiliter postulant a Sanctitate Vestra dispensationem ab impedimento quo ligantur (consanguinitatis in secundo lin. coll. gradu), quod obstat quominus legitime conjungantur.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SSmo D. N. Benedicto Papa XV sibi tributarum, prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est (nimia familiaritas...), Ordinario Brugen. committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benignè largiatur, quo nuptias prout desiderant contrahere valeant, contrariis quibuslibet minimè obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus ejusdem S. Congregationis, die... can. 1920 ».

Hæc est forma rescripti dispensantis super impedimento *gradus majoris*. Si dispensatur super impedimento in *gradu minori*, loco : « prae oculis habita causa quæ ad optatam gratiam potissime affertur, hoc est... », inseritur : « ob rationabiles causas a S. Sede probatas », omittitur autem incisum : « si vera sint exposita ».

79. Porro, accepto rescripto Romano, sic breviter describuntur, circa ejusdem executionem, partes respectivae Ordinarii et parochi : partes scil. habendae in ipsa

(1) M., 861 s.

fulminatione necnon in negotiis praeviis ad fulminationem, memoratis etiam peculiaribus clausulis exequendis in dipensatione super disparitate cultus vel mixta religione. Nimirum

A. Quod spectat **praevia ad fulminationem :**

80[1]. 1° Rescriptum Romanum communicat Ordinarius cum parocho, eique, saltem si agitur de impedimento *majoris gradus* (2), vel si dubium aliquod datur circa precum veritatem, mandatum imponit instituenti *verificationem precum*, i. e. examinandi utrum veritate nitantur varia in supplica exposita et in rescripto memorata, illudque examen instituenti juxta interrogatorium, cujus formulare adnectendum curat Ordinarius (3): addita monitione ut idem parochus responsa ad petita veritate niti, mediante signo suo manuali, testari velit, eaque simul cum adjuncto documento Romano, in quo concessa legitur dispensatio Apostolica in forma commissoria, ad Rev^mum Dominum dirigere. Examen autem instituat parochus interrogando sponsos, et, si id expe-

(1) M., 867 s.

(2) Pro impedimentis *minoris gradus* error in precibus, quod spectat invocatam causam, etiam finalem, non irritat dispensationem rescriptum. In solo caeteroquin rescripto Romano super impedimento majori, inseritur, uti notavimus, clausula : « si preces veritate nitantur ».

(3) En tenorem *interrogatorii* : « 1° An in ipso rescripto erratum non sit in nominibus, cognominibus, aetate, domicilio, vel dioecesi oratorum ; — aut in natura, gradu et numero impedimentorum ? 2° An, praeter impedimenta in rescripto expressa, alia non fuerint in precibus reticita ; et quatenus affirmativè, quaenam illa sint, et an reticita bona fide oratorum ? 3° An alia impedimenta non supervenerint post missas preces ? 4° An rationes pro obtinenda dispensatione allegatae in precibus aliaeque in rescripto enuntiatae vere existant ? 5° An mulier non fuerit rapta ? 6° An status fortunae oratorum accuratè fuerit expositus » ?

dire censeat, etiam testem unum alterumve probrum et idoneum (1).

81 (2). 2° Quando dispensandum occurrit super *disparitate cultus* vel *mixta religione* (3), ab Ordinario mitti-

(1) Si contingat ab Ordinario non imponi verificationem, vel tempus deesse ut ante fulminationem facienda praescribatur, suppleat parochus, in quantum potest, ut de veritate precum constet antequam dispensationem oratoribus communicet.

(2) M., 874.

(3) En tenorem nuperrimi rescripti super *mixta religione* :

Beatissime Pater,

Ordinarius (Brugen.) humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento mixtae religionis (et ad cautelam disparitatis cultus) ut catholica N. N. licite ac legitimè matrimonium contrahere possit cum acatholico N. N. (dubie baptizato).

Sequentes afferuntur causae : (cohabitatio et prolis jam natae legitimatio).

SS. D. N. Benedictus divina providentia Papa XV (per facultates R. F. D. Adsessori) S. Officii impertitas benignè remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii (Brugen.), qui, remoto opportunis modis scandalo, si adsit, et disposita parte catholica ad gratiam Dei recipiendam, dispensare valeat catholicam N. N. ab impedimento mixtae religionis (et ad cautelam disparitatis cultus, cum facultate declarandi legitimam prolem susceptam), ut licite et legitime matrimonium contrahere possit cum acatholico N. N., dummodò prius regulariter, ad praescriptum Cod. J. C., can. 1061, § 2, cautum omninò sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et *ipse R. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri*, scil. : ex parte conjugis acatholici, de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque nupturiente, de universa prole utriusque sexus (nata et forsan nascitura) in catholicae religionis sanctitate omninò baptizanda et educanda ; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem conjugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. J. C., can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae juxta can. 2319, § 1, n. 1, stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063, § 2.

In reliquis quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, serventur praescripta Cod. J. C., cann. 1026,

tur ad parochum duplex schedula, promissiones ab utraque respective parte faciendas continens (1), quam ab eis scripto subsignandam curabit parochus ; unum autem exemplar tradet partibus, in perennem assumptarum obligationum memoriam sedulò servandum, alterum ad Cancellariam episcopalem diriget, unà cum attestatione de futuro promissionum adimplemento (2).

En autem *formulam* duplicem, in dioecesi Brugensi, a nupturientibus, in casu, respective subsignandam ; supponitur autem sponsus acatholicus :

a/ « Je soussigné..., domicilié à..., m'engage, par les présentes, à laisser baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui (sont nés ou) naîtront de mon futur mariage avec..., domiciliée à..., et à leur laisser, à eux et à ma future épouse, liberté pleine et entière de remplir tous les devoirs de la religion catholique.

1102, 1109 ; et matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, Ordinarius invigilet ut conjuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressionem faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. J. C., can. 56).

Contrariis quibuscúmque non obstantibus.

Nota. Quae infra parenthesim pronuntur sunt calamo conscripta, reliqua sunt typis impressa.

(1) Solebant imponi *quatuor cautelae*, quarum duae sunt communes utrique parti, nempe ut promittant a/ procurare educationem catholicam prolis utriusque sexus, et b/ abstinere ab omni accessu ad ministellum acatholicum qua talem ; quarum cautelarum reliquarum una spectat partem acatholicam, ut nempe c/ spondeat libertatem parti catholicae relinquendam in religionis exercitio, et altera partem catholicam, quae d/ debet in se assumere onus curandi alterius partis conversionem.

Inde ab introducto Codice, jam non imponitur parti catholicae aut fideli conditio de curanda conversione partis acatholicae aut infidelis (de qua sub d), sed mere affirmatur obligatio illam conversionem curandi; idem autem valet de conditione, de qua sub b), circa adeundum ministrum acatholicum. — Haec utraque obligatio, si non est sub poena denegandae dispensationis imponenda, inculcanda praescribitur in rescripto apostolico.

(2) Cf. *Form.* 4, ad calcem.

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.
Fait en double à..... le..... ».

b « Je soussignée....., domiciliée à....,., m'engage, par les présentes, à faire baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui (sont nés ou) naîtront de mon futur mariage avec..... domicilié à.....

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.
Fait en double à..... le..... ».

82[1]. Haec est *norma*, ut non dispensetur nisi sub descriptis cautelis, pro valore exigendis ; videtur tamen aliqua *mitigatio* induci in hac disciplina, quatenus, quando *a S. Sede* dispensatur, potest postulari et sperari ut, in gratiam partis catholicae bene dispositae, dispensetur in urgentissima necessitate; non obstante partis acatholicae mala dispositione circa clausularum observationem.

83[2]. 3° In dispensatione super impedimentis delicto nitentibus vel ob causas inhonestas, inserebantur, sub disciplina ante Codicem vigente, speciales quaedam clausulae, adhibito rescripto in forma speciali. Hujusmodi clausulae, pro varia opportunitate, prae caeteris erant poenitentia juridica cum absolutione juridica, (3) et remotio scandali (4).

Quodsi Ordinarius executor illas clausulas, vel unam alteramve (sive explicito tenore urgeatur in rescripto, sive subaudiri censeatur sub formula generali : « servatis canonicis praescriptionibus »), injungit, vel eas a parocho oratoribus injungendas praescribit, officio suo in hac re non deficiat parochus.

En autem processum quem hucusque sequi solebat Ordinarius Brugensis: consuetae nempe schedulae interrogatorii adjungebatur *folium* dictinctum, in quo Ordinarius, nomine suo, injungebat poenitentiam et scandali reparationem, simul onere imposito parocho

(1) M., 508 et 591.
(2) M., 870 et 873.
(3) Cf. suprà, n. 44.
(4) Remotioni scandali signanter locus est quando invocatur causa concubinatus aut matrimonii civilis, vel quando dispensatur super crimine, super ordine vel voto sollemni.

inquirendi circa poenitentiae acceptationem, praesentiam scandali, separationis vi injunctionis factae executionem, vel alterius contra scandalum remedii applicationem (1). Cf. etiam suprà, n. 73, in nota.

84[(2)]. Jamvero quod spectat a/ *poenitentiam :* si non determinatur in ipso rescripto, determinanda relinquitur Ordinario executori, servata tamen proportione gravitatis delicti, quatenus, pro gravitate delicti admissi, imponatur poenitentia salutaris, vel gravis, vel gravis et diuturna. Jamvero Ordinarius Brugensis pro poenitentia *salutari* imponere solebat *per quindenam* recitationem quotidinam quinquies pater et ave ; pro poenitentia *gravi* salutari, ut, *per quatuor hebdomadas*, quotidie recitent ter pater et ave, et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; pro poenitentia *gravi et diuturna*, ut hanc poenitentiam gravem instituant *per duos menses ;* ubi addebatur clausula de confessione semel singulis mensibus instituenda per tempus dispensantis arbitrio statuendum, praescribebatur ut, per *quatuor* menses, semel de mense sacramentaliter confiterentur sponsi.

---

(1). *Tenor folii* erat sequens :

« Ego infrascriptus Vicarius generalis-Officialis Revmi Dni G. J. Waffelaert, Episcopi Brugensis, oratoribus..., juxta praescriptiones canonicas, injungo:

I. Ut, si adsit scandalum et separatio fieri possit, separati vivant a thoro et cohabitatione. Quae quidem separatio, juxta responsum S. Poenitentiariae, de die 4 Februarii 1884, *injungenda* est, etiamsi constet oratores separatos habitare et usque ad diem matrimonii habitaturos.

II. Ut singuli oratores, pro poenitentia...

III. Ut singuli oratores eleemosynam..... erogent pauperibus Velit igitur R. D. Pastor indicare : RESPONSA.

1. An oratores poenitentiam acceptaverint ? 1.
2. Quatenus adsit scandalum : 2.
   A. *Si fieri possit separatio :* A.
      a/ An oratoribus *separatio* MEO NOMINE *injuncta* fuerit ? a/
      b/ An oratores, VI INJUNCTIONIS MEAE, per tempus praescriptum, *revera* separati fuerint? b/
   B. *Si fieri nequeat separatio,* an *aliter et quomodo* scandali reparationi provisum fuerit ? B.

Brugis.... Responsa suprascripta vera esse testor ».

(2) M., 871 ss.

Absolutio juridica solebat inseri in ipsa fulminatione simul cum absolutione ad effectum. Cf. mox infrà, n. 86.

b/ *scandalum*, ubi adest, vario modo reparari potest, pro variis adjunctis. Sic, ubi dispensatur cum subdiacono vel sollemniter professo, volebat C. S. Officii, in Litt. 20 Febr. 1888, eos induci ut « in loca se conferant ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur », vel, si id obtineri nequeat, illis imponi « spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christianè vivendum ». In aliis adjunctis, signanter quando scandalum ortum est ex concubinatu vel matrimonio civili, aptum remedium erit in separatione oratorum : quae separatio non raro imponebatur ab Ordinario Brugensi (cf. schedulam) : quo casu separatio erat a parocho *nomine Ordinarii* imponenda, *etiam ubi de facto separati existebant sponsi* et praevidebantur separatim habituri. Quodsi separatio institui nequibat, poterat recurri, uti in dicto folio providebatur, ad aliud medium scandalum removendi, signanter illud medium, suprà, n. 44, jam indicatum, et in foliis ad dispensationem episcopalem adnexis (suprà, n. 73, in nota) commendatum, ut nempe nupturientes coram parocho et duobus testibus declararent sese dolere de dilictis admissis, seque veniam implorare de illis ac de scandalo exinde orto.

85[1]. **Nota** 1. Jam non requiritur, ad valorem dispensationis, rescripti *acceptatio* ex parte dispensandi (can. 37). Unde non est exinceps urgenda illa acceptatio, neque in foro externo, neque in foro interno : quae caeteroquin acceptatio passim continetur in ipsa notitia accepta de petenda vel petita dispensatione, interdum tamen specialem attentionem exigebat in foro interno, coram quo nonnunquam postulanda est dispensatio, insciis partibus.

2. Executio clausularum fulminationi praeviarum, si ipsis locus est, melius quidem et opportunius peragitur in scriptis, etiam adhibito, pro opportunitate, instrumento distincto a fulminationis instrumento (n. 81 et 83);

(1) M., 875.

potest tamen fieri *oretenus*, executionis illius mentione inserta in fulminationis instrumento.

B. Quod spectat **fulminationem :**

86[1]. Postquam Ordinarius a parocho receperit rescriptum Romanum, simul cum pagella debitè impleta verificationis, et, ubi locus est, cum folio speciali attestante injunctionem et acceptationem poenitentiae ac reparationem scandali, vel et cum schedula circa promissiones speciales promatrimoniis mixtis, procedit *ad fulminationem dispensationis*, seu ad ejus executionem formiter faciendam. Nimirum, invocata commissione apostolica, memorata etiam die concessi rescripti, praemissa absolutione ad effectum, et, si locus sit, absolutione juridica, expressis verbis declarat Ordinarius se dispensare super impedimento vel impedimentis, illud vel illa accuratè describendo; etiam, si legitimationis facultas fuerit in rescripto inserta (2), prolem conceptam vel natam legitimam denuntiat.

En *specimen* formulae ab Ordinario Brugensi usurpatae :

« Vicarius generalis.....

Dilectis Nobis in Christo.... salutem in Domino.

Ob causas S. Sedi apostolicae expositas et in examine veritate niti repertas, tanquam delegatus apostolicus, vi specialis facultatis, SS. DD.... Nobis concessae, vos a quibusvis sententiis, censuris poenisque ecclesiasticis, si quibus quomodolibet innodati sitis, ad effectum hujus dispensationis consequendae duxtaxat, absolventes et absolutos fore censentes (3), vobiscum dispensamus super impediment..... in ordine ut..... impediment..... et constitutionibus, ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, validè contrahere ac solemnizare et in eo postmodum libere et licite rema-

(1) M., 876, 877, 878, 879.

(2) Dispensationis *executor* non potest prolem legitimare nisi in quantum legitimationis potestas fuerit in rescripto inserta. Cf. suprà, n. 44 et 64.

(3) Est formula absolutionis ad effectum. Quando autem inserenda censetur absolutio juridica, addatur, ante verbum « absolventes... » : « et in specie ab iis quas ob praemissa incurristis ». Cf. suprà, n. 44.

nere possitis, dummodo aliud, praeter express...., non obstet impedimentum canonicum (salva tamen dispositione can. 1052) et mulier rapta non fuerit.

Datum Brugis, sub signo nostro, die...., mensis..... anni 19.... » (1).

87(2). Officium autem *parochi*, respectu fulminatae ab Ordinario dispensationis, ad hoc reducitur ut dispensationem concessam cum oratoribus communicet, utque, dum documentum Romanum, cum fulminationis notitia, conservatur in archivo episcopali, ipse in archivo pastorali conservandum curet *fulminationis instrumentum*, utque concessae et executioni mandatae dispensationis apostolicae mentionem faciat in registro matrimoniali, nisi agatur de impedimento infamante nec omninò publico.

88(3). *Observa* 1. Ad normam can. 53, « rescripti executor invalidè suo munere fungitur, antequam litteras

(1) Solet Ordinarius Brugensis, pro *fulminatione* dispensationis super *mixta religione*, in forma commissoria concessae, sequentem formulam adhibere : « Auctoritate apostolica, a SS. DD....., die...., Nobis delegata, justis gravibusque accedentibus causis, dispensamus cum N. N.... . catholic.... subdit.... dioeceseos nostrae, super impedimento mixtae religionis, in ordine ut licitè et legitimè matrimonium contrahere possit cum N. N.... coram parocho et duobus testibus, ad normam can. 1094, extra tamen ecclesiam, omissis bannorum proclamationibus, et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu : siquidem praestitae sunt cautiones ab Ecclesia praescriptae, signanter de amovendo a conjuge catholic..... perversionis periculo, de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omninò educanda ». Additur autem in nota sequens monitio :

Memor sit conjux catholic... obligationis qua tenetur conversionem partis acatholicae prudenter curandi (can. 1062). Ulterius parochus moneat nupturientes se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum, uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae, Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae, juxta can. 2319, § 1, n. 1. — Celebrato matrimonio, parochus invigilet ut conjuges promissiones factas fideliter impleant. Quodsi domicilium mutaverint, de munere isto invigilandi parochum novae residentiae eorum monere non omittat.

(2) M., 879.

(3) M., 879.

receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earumdem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa ».

2. Si executor, dispensando super impedimento, omiserit prolem susceptam legitimam decernere, poterit postea huic muneri supplere, non tantum ipse sed etiam successor in officio.

3. Si contingat, ratione urgentis necessitatis, quod Ordinarius fulminandum censeat, quin descriptam informationem praemittendam curaverit, dispensare potest, uti dicitur, *ex nunc pro tunc*, ita nempe ut tunc tantum sit vim habitura dispensationis fulminatio, quum, informatione pro posse instituta, constiterit parocho de veritate precum. Eodem modo proceditur quando parochus interrogatorio ad ipsum misso non sufficienter responderit, aut quando deest attestatio circa unius alteriusve clausulae acceptationem, et ex alia parte, ob instans matrimonium, ulterius differri nequit dispensationis fulminatio : dispensat scil. Ordinarius ex nunc pro tunc, simul monendo parochum ut defectui suppleat illicò, ita rursus ut fulminationis decretum non consequatur suum effectum, nisi inde a memento quo clausula fuerit impleta vel defectui fuerit suppletum.

II. Pro foro interno.

89[1]. S. Poenitentiaria dispensationis rescriptum pro foro interno, quod conceditur in forma *commissoria* (2),

(1) M., 880.

(2) Sequitur specimen talis *rescripti S. Poenitentiariae :*

« Seraphinus, divina miseratione Episcopus Portuensis et S. Rufinae S. R. E. Cardinalis Vannuttelli, SS. DD. Nostri Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Dilecto in Xo proprio latorum parocho, sive confessario ex approbatis ab Ordinario loci, per eos specialiter electo, salutem in Dno. Ex parte viri et mulieris latorum praesentium Nobis oblata petitio

regulariter exequendum committit *confessario* vel *personaliter designato*, vel *ex approbatis ab Ordinario loci ab eis (oratoribus) electo (vel eligendo)*, idque sive

---

continebat, quod ipsi, aliàs vivente alio (-a) latricis (-oris) conjuge, se carnaliter cognoverunt fidemque invicem sibi dederunt de matrimonio inter se contrahendo si dictae latricis (latoris) conjux praemoreretur, quo (qua) defuncto (-a), neutro eorum in ejus mortem machinante, de dicto matrimonio contrahendo tractarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, impedimentum criminis ex praemissis proveniens occultum remaneat, et ipsi justis et gravibus de causis ad hujusmodi matrimonium contrahendum urgeantur, ideo ad consulendum rebus suis et pro suae conscientiae quiete cupiunt a praemissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostslicam absolvi, secumque desuper dispensari; quare supplicarunt humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur qui apostolicae Poenitentiariae curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica Nobis concessa, discretioni tuae committimus, quatenus dictos latores, audita prius eorum sacramentali confessione, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint quibusque actu innodati existant, adulterio cum fide data, et excessibus hujusmodi hac vice in forma Ecclesiae consueta absolvas: injuncta eis pro modo culpae gravi poenitentia salutari, et aliis quae de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum criminis ex praemissis proveniens occultum remaneat, et nisi matrimonium inter latores contahatur periculum immineat vel scandalorum vel perseverantiae in peccato propter aliquam occasionem, quae judicio tuo nequeat ab ipsis sine magna difficultate aut gravi damno removeri, cum iisdem latoribus, quod, praemissis non obstantibus, dummodo aliud ipsis non obstet canonicum impedimentum, matrimonium inter se publicè, ad normam (decreti *Ne temere*, die 2 Aug. 1907 editi) can. 1094, contrahere et in eo postmodum remanere licitè valeant, pari apostolica auctoritate misericordier dispenses; prolem suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, exinde legitimam nunciando. In foro conscientiae, et in sacramentali confessione tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus eis suffragetur. Nullis super his datis litteris, sed praesentibus sub poena excommunicationis latae sententiae statim per Te post executionem penitus laceratis. Datum Romae apud S. Petrum sub sigillo Officii Poenitentiariae, anno Domini... ».

supplica fuerit directè ad S. Poenitentiariam transmissa, sive eam, mediante Officiali, Romam direxerit confessarius (1).

Exceptionaliter autem fiet quod, recursu instituto per parochum in foro non-sacramentali, huic *parocho* remittatur rescriptum exequendum.

90(2). Rescriptum, cujus executio committitur *confessario*, executioni mandandum est in foro *sacramentali*. Nimirum confessarius, cui ex S. Sedis designatione vel ex poenitentis electione executionis onus incumbit, clauso rescripto accepto illoque aperto, procedat *primò* ad *verificationem precum*, per diligentem poenitentis interrogationem circa existentiam impedimenti ejusque naturam occultam, circa praesentiam causae invocatae, necnon circa varias conditiones in rescripto fortè insertas; *secundò* transeat ad *executionem clausularum*, prae caeteris injungendo poenitentiam, in determinatione poenitentiae sese conformando normae usurpari solitae ab Ordinario et n. 73 descriptae, imposita etiam, ubi injungitur, remotione occasionis peccandi, juxta modum propositum sub n. 46; *tandem* deveniat ad dispensationis *fulminationem*, praesupposita gratiae acceptatione ex parte dispensandi.

Haec omnia et singula opportunè peraguntur *in ipso actu sacramentalis confessionis*, imo fulminatio debet pro valore tunc fieri. Ad confessionem igitur debet vocari poenitens, monitione facta in confessione praecedente,

---

(1) Quando confessarius usus est intermedio Officialis *pro confectione supplicae*, mittendae ad S. Sedem, rescriptum dirigitur ad Officialem, cum onere huic injuncto ut illud rescriptum clausum transmittat ad confessarium. Quodsi confessarius propria industria supplicam confecit, ad Ordinarii ministerium recurrens pro sola transmissione postali, rescriptum transmittitur ad confessarium.

(2) M., 881 ss.

vel ipsum post acceptum rescriptum invitando, praeviè obtenta licentia de re confessionem spectante loquendi.

Quod spectat *fulminationis formulam*, servetur illa quam descriptam habes suprà, n. 47.

91 [1]. Si contingat executio rescripti committi parocho, in foro *extrasacramentali*, in hoc foro est executioni mandandum, ad normam dictorum suprà, sub. n. 48, attento processu modò descripto pro clausularum executione per confessarium.

92 [2]. **Nota** 1. Praecipitur confessario, ut litterae, post earum executionem, saltem infra triduum, idque sub poena excommunicationis latae sententiae, *comburantur* vel *lacerentur*. Nihil tamen impedit quominus conservetur copia rescripti, omissa data et omni indicatione qua posset forsan innotescere poenitens in cujus gratiam fuit obtentum.

Quod spectat rescriptum concessum in foro extrasacramentali, applicetur norma proposita in can. 1047, ad modum dictorum suprà, sub. n. 48.

2. Ubi dispensandum est confessario super *crimine*, in quo utraque pars est noxia et criminis conscia, executioni est mandanda, ad tramites dictorum sub n. 49, respectu, utriusque partis, sive idem ab utraque parte eligatur confessarius sive diversus. Quo altero casu « prior confessarius, post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet litteras S. Poenitentiariae (clausas) poenitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quae (altera pars) similiter easdem litteras secum exequi faciat per alium confessarium, cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, litteras lacerare » (3).

(1) M., 888.
(2) M., 887.
(3) Resp. S. Poenit. 15 nov. 1748.

93[1]. 3. Quando confessario rescriptum dispensationis a S. Sede conceditur super *voto castitatis* perfecto, sed occulto, solet confessarius committi *ad dispensando-commutandum* potius quam ad dispensandum simpliciter, nec *solet* concedi gratia nisi *in ordine ad matrimonium*, idque in ordine ad matrimonium praesens dumtaxat; unde pars voto ligita tenetur, *ex virtute Religionis*, castitatem servare extra *licitum* usum hujus *praesentis* matrimonii. Cf. n. 124.

Pro commutatione-dispensando praescribat confessarius, juxta tenorem rescripti, confessionem semel quolibet mense instituendam, necnon menstruam tum quinque decadum rosarii recitationem, tum missae assistentiam die feriali, atque quotidianam mane inter surgendum ac vespere ante decubitum recitationem unius ave, ut pars vovens « ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur ».

(1) M., 889.

SECTIO SECUNDA

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII IN IPSA CELEBRATIONE MATRIMONII

Caput I

DE OFFICIO PAROCHI

Articulus 1s. De officio parochi generatim spectato.

I. Cujusnam parochi sit matrimonio assistere.

94[1]. A. Pro **valore** assistere debet *parochus loci*, parochiae scil. in cujus territorio matrimonium celebratur; itu ut, assistente parocho loci, validum sit quodcumque matrimonium quorumcumque nupturientium, et nullum sit, parocho loci absente, secluso duplici casu excepto in can. 1098 (2). Porrò parochus loci potest validè assistere sive per seipsum, sive per sacerdotem *a se ritè delegatum*, data delegatione sacerdoti *determinato*, in ordine ad matrimonium *determinatum*, exclusis quibuslibet, idque sub poena nullitatis, « delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt », Can. 1096.

Ad assistentiae validitatem requiritur ut parochus —

(1) M., 107-109.
(2) Cf. infrà, n. 111.

et idem valet de sacerdote delegato — non fuerit per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam excommunicatus vel interdictus vel ab officio suspensus ; non valet etiam parochus validè assistere, vel ad assistendum delegare, nisi inde a die quo adeptus est possessionem beneficii, quae possessionis adeptio solet fieri, in dioecesi Brugensi, in primo accessu ad novam parochiam ; tandem restringenda est delegatio ad asistendum matrimonio infra fines parochi delegantis.

95[1]. Quod spectat potestatem *subdelegandi* penes sacerdotem delegatum : si fuit delegatus ad universalitatem causarum saltem matrimonialium, uti fieri potest cum vicario parochiæ, potest subdelegare, sed in singulis casibus tantum, seu ad casum particularem ; secus, potestas delegata subdelegari nequit absque speciali facultate subdelegandi (2). Can. 199.

96[3]. B. Pro **liceitate** requiritur assistentia parochi loci, qui simul sit parochus in cujus parochia alteruter nupturientium habet domicilium aut quasi-domicilium

(1) M., 119 et 117.

(2) In dictis supponitur potestatem delegatam *non esse extinctam*. Extingui autem potest (præterquam per revocationem delegantis delegato directe intimatam, aut per renuntiationem deleganti directe intimatam et ab eodem acceptatum), per *mortem* delegantis, positis scil. ponendis : si nempe adhuc res est integra, seu quando nondum positus est primus actus qui refertur ad causam ad quam delegatio est concessa, et simul data fuit delegatio ad causam particularem absque mandato exequendi ; quod mandatum censetur imponi vicepastori a parocho delegato, non autem sacerdoti a nupturientibus titulo familiaritatis invitato et parochi delegatione munito ; in aliis casibus non cessat delegatio per delegantis mortem vel ejusdem dimissionem ab officio. — Caeterum, in dioecesi Brugensi, casui dimissionis aut translationis officii providetur speciali statuto : « Parochus ad alium locum nominatus vel officio renuntians, ex delegatione nostra jurisdictionem pastoralem in parochia unde transfertur conservabit, donec a successore fuerit monitus quod hic administrationem parochiae in se suscipit ». *Liber manualis.*

(3) M., 125 s.

aut mensilem commorationem, aut, si de vagis agitur mensilem commorationem non habentibus in parochia vel de illis qui non habent nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, parochus in cujus parochia actu commoratur. Can. 1097, § 1, n. 2.

Alii non assistunt licitè nisi licentia muniantur parochi domicilii vel quasi-domicilii vel mensilis commorationis, exceptione facta pro casu gravis necessitatis, vel pro casu vagi actu itinerantis : in quo duplici casu non requiritur licentia.

Propositæ normæ apponitur quædam restrictio, quatenus pro regula habeatur ut, salva justa causa, assistat parochus *sponsae* potius quam parochus sponsi : quam regulam, quae coram jure communi non est strictè praeceptiva, servandam urget jus dioecesanum Brugense.

Circa quae attende :

1° *Licentia* qua indiget parochus non proprius, non est strictè dicta delegatio, nec illi applicantur dicta sub n. 94 ; et ita sufficit licentia interpretativa seu praesumpta, ac potest dari generalis.

2° Gravis necessitas quae a lege, requirente praesentiam descripti parochi ejusve delegati, excusat, obtinet quando sine gravi incommodo differri nequit matrimonium donec licentia fuerit obtenta, vel quando grave motivum adest matrimonium occultandi dicto parocho(1).

3° Si a praeferendo parocho sponsi prae parocho sponsae excusat, coram jure communi, quaevis causa justa, etiam non gravis, strictius interpretandum est statutum praeceptivum juris dioecesani Brugensis ; nec adeo parochus sponsi matrimonio assistat absque licentia saltem meritò praesumpta parochi sponsae.

(1) Caeterum gravis necessitas passim sufficiet ut licentia parochi praesumatur.

II. QUAENAM CAUTELAE PRAEREQUIRANTUR.

97(1). 1° Debet parocho, antequam matrimonio assistat vel ad assistendum deleget aut licentiam concedat, ritè constare *de statu libero*.

Nimirum oportet ut, praemisso diligenti examine, ad normam dictorum sub nn. 3-13, certitudinem moralem acquisierit de absentia impedimenti, in specie ligaminis, utque ex bannorum proclamatione nullum etiam innotuerit impedimentum, vel de impedimenti remotione ritè constiterit (2).

Quodsi dubium superesse videatur de impedimenti enistentia, parochus non potest matrimonio assistere, *inconsulto Ordinario*. Can. 1031, § 1, n. 3.

2° Si agitur de *vagis* (3), praerequiritur, secluso necessitatis casu, licentia Ordinarii vel sacerdotis ad hoc deputati (4).

---

(1) M., 129, 61.

(2) Ideo parochus non potest ad matrimonii celebrationem procedere antequam ipse banna proclamaverit et ab aliis parochis, qui pariter denuntiationes fecerint, certior sit factus quod proclamationes fuerint ritè peractae quodque nullum innotuerit impedimentum, vel, si detectum fuerit impedimentum, quod ritè fuerit super ipso dispensatum. Cf. suprà, n. 26 ss.

(3) *Vagi* juxta, can. 91, ad quem remittit can. 1032, et juxta notionem propositam suprà, sub. n. 1, sunt illi qui nullibi habent domicilium (juris vel facti) vel quasi-domicilium, sive dioecesanum sive paroeciale, non exclusis illis qui mensilem habeut commorationem in quodam loco.

Quamvis lex, attenta generalitate verborum, afficiat omnes vagos, etiam momentanee vagos, urget tamen praesertim habitualiter vagos, qui nempe vagabundam ducunt vitam ; ratio namque legis ipsis peculiariter applicatur.

(4) En autem *formulam* ad petendam dictam licentiam Episcopi :

« Illustrissime ac Reverendissime domine,

Theresia N. parochiana mea, nuptias cupit inirecum Leonardo N., ex dioecesi N. oriundo, nunc allibi domicilium aut quasi-domicilium

3° Postquam nihil jam obstat matrimonii celebrationi et peractae sunt omnes proclamationes, differenda est matrimonii celebratio, nisi rationabilis causa aliud postulet, usquedum « *tres dies* decurrerint ab ultima publicatione » (Can. 1030, § 1). Matrimoninm proinde, attenta norma supputandi tempus (can. 34, § 3, n. 3), non potest celebrari nisi incoepta quarta die post diem ultimae proclamationis (1) ; sed ut ocius celebretur, non requiritur causa gravis sed rationabilis sufficit (2).

98. Nota. Attentis omnibus hic et suprà, per decursum tractationis notatis, et infrà, sub n. 201, notandis, en quae a parocho matrimonium celebraturo regulariter praesto esse debent, suo tempore exquirenda, documenta et attestationes : 1° extractum baptismale, a sponsis vel ab alterutro sponso, ex aliena parochia oriundis (n. 4) ; 2° attestatio scripta de bannis in aliena paroecia proclamatis et de non detecto impedimento vel de impedimenti remotione (n. 32) ; 3° schedula confes-

---

retinente. Diligenti facta inquisitione, nihil potui reperire quod sponsi libertati obstet, nec parentes dissentiunt.

Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae supplico ut mihi quid facto opus si significare dignetur.

Cum summae veneralionis sensu subscribo

N. parochus N.

Die.... mensis.... anni... ».

Notetur autem a quod haud raro *ambo* nupturientes sunt vagi ; quo casu utriusque sponsi nomine est recurrendum ; b quod tenor supplicae supponit inquisitionem fuisse factam a parocho ; quodsi inquisitio fieri non potuerit, de hoc monendus est Ordinarius.

(1) Ita, si ultima proclamatio est facta die dominica, non potest matrimonium iniri nisi feria V^{a}.

(2) Hucusque, ex jure particulari Brugensi, de norma interponenda, erat *una dies*, exceptione facta *pro operariis et pauperibus* quorum matrimonia, si banna ter proclamata fuerut, celebrari poterant feriis secundis, non servata die intermedia.

sionis (1) ; necnon etiam, si sine gravi incommodo fieri potest, Confirmationis (2) ; 4° attestatio de adimpletis formalitatibus matrimonii civilis (n. 201).

Quibus accedat, pro peculiaribus adjunctis, delegatio expressa vel etiam scripta parochi loci, si matrimonium celebretur coram alio parocho, vel licentia pariter expressa aut scripta parochi domicilii aut quasi-domicilii aut mensilis commorationis, si matrimonio assistens non sit parochus competens, vel, si non sit parochus sponsae, hujus parochi licentia. Supponuntur etiam praesto esse documenta quae, juxta dicta sub n. 3 ss., interdum requiruntur ad stabiliendum, in peculiaribus adjunctis, statum liberum, puta circa obitum prioris conjugis, circa praestitum juramentum suppletorium ; etiam opus esse potest documento circa nullitatis declarationem anterioris matrimonii, post quam nullitatis declarationen licet ad nova vota transire inde a decem revolutis diebus.

III. Modus celebrationis.

A. **Formalitatis juridicae.**

99(3). Ad hoc ut matrimonium celebretur *validè*, requiritur ut parochus ejusve delegatus *ritè* assistat, ut simul cum ipso *duo testes* adsint, utque sponsi *debitè* praestent consensum.

Quocirca observa :

1° Quod spectat assistentiam *porochi*, ut *valida* sit :

a/ Debet parochus taliter assistere ut primò censeatur

(1) Can. 1032, coll. suprà n. 17.

(2) Can. 1021, § 2 : « Catholici, qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possunt sine gravi incommodo ».

(3) M., 111 s.

moraliter praesens, et secundò, ut adhibeatur tamquam testis isque auctorizabilis. Ratione primi, non sufficit praesentia physica, merè materialis, puta dormientis ; oportet ut parochus intelligat matrimonium coram se contrahi, contrahentium verba audiendo aut signa percipiendo, quae utriusque nupturientis consensum significent. Ratione secundi, opus est ut, in modo agendi nupturientium, appareat eos velle matrimonium inire coram parocho, idque qua teste qualificato, adeo ut non valeret consensus emissus coram syndico et duobus testibus, inter quos assumeretur parochus tanquam testis vulgaris.

b/ Postulatur ut parochus ad assistendum non fuerit vi vel metu gravi constrictus ; et ut non merè passivè assistat, sed requirat excipiatque contrahentium consensum.

100(1). 2° Quod spectat assistentiam *testium :* sufficit, pro valore, observatio conditionis sub a/ positae ; reliquae conditiones sub b/ descriptae spectant solum parochum ejusve delegatum. Imò, quod attinet conditionem alteram sub a/ de necessitate testem adhibendi qua talem, practicè reducitur, pro testibus vulgaribus, ad conditionem priorem sub a/ de praesentia scil. morali : ita ut practicè censeatur sufficere quod testes valeant testari consensum matrimonialem inter tales determinatas personas fuisse ritè praestitum (2) ; non requiritur ut testes fuerint designati.

3° Juxta can. 1088, § 1, « ad matrimonium validè contrahendum necesse est ut contrahentes *sint praesentes*

(1) M., 123 s.

(2) Pro *licita* assistentia testium, notetur non posse, in matrimoniis catholicorum, adhiberi testes acatholicos ; non autem convenire ut adhibeantur mulieres, idque, in dioecesi Brugensi, esse prohibitum.

sive per se sive per procuratorem » (1). Juxta eumdem autem canonem, § 2, ad liceitatem oportet ut « sponsi matrimonialem consensum exprimant *verbis* », adeo ut non liceat solis signis contrahere, nisi a loquela destitutis.

B. **Praescriptiones rituales.**

101(2). 1° Praescriptiones *juris communis:*

Sunt nempe illae quae describuntur in *Rituali Romano*, Tit. VII, cc. 1 et 2, et reducuntur ad consensus exquisitionem ac praestationem, necnon ad benedictionem annuli ejusque insertionem : quam excipit, ubi ei locus est, missa pro sponso et sponsa, cum sollemni benedictione infra missam.

Missa pro sponso et sponsa est peculiaris missa *votiva*, quae habetur in *Missali Romano*, cum introitu *Deus Israël*, et propriis orationibus. *Benedictio* autem *nuptialis* sollemnis est illa quam exhibet *Missale Romanum* in missa pro sponso et sponsa, ac infra missam est impertienda, nunquam vero extra missam ; consistit in orationibus *Propitiare Domine....., Deus, qui potestate.....*,

(1) Quod spectat matrimonium *per procuratorem*, servandae sunt conditiones descriptae cann. 1089 et 1091. Nimirum *ad valorem* requiritur a/ « mandatum *speciale* ad contrahendum cum *certa* (determinata) persona, *subscriptum* a mandante, et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus » (can. 1089, § 1) ; quodsi mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est » (can. 1089, § 2) ; b/ ut, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum *non revocaverit nec in amentiam inciderit ;* quin obstet mandati nullitati quod sive procurator sive alia persona contrahens haec ignoraverit (can. 1089, § 3) ; c/ ut procurator *praesens sit* et munere suo *per se ipse* fungatur (can. 1088, § 1 et 1089 § 4), utque nomine mandantis consensum exprimat coram duobus testibus et parocho consensum exquirente (can. 1095. § 1, n. 3).

(2) M., 197.

dicendis ante *Libera nos*, post *Pater noster*, necnon in tertia oratione *Deus Abraham*...., recitanda ante *Placeat tibi S. Trinitas* (1).

Omittenda est benedictio nuptialis (adeoque etiam missa pro sponso et sponsa, utpote quae absque illa benedictione celebrari non potest), quotiescumque *mulier* jam fuerit, in anteriori matrimonio, sollemniter benedicta; item in matrimoniis mixtis et regulariter in tempore clauso(2). Praeter hos casus sollemniter benedici possunt nuptiae, etiam ubi per rubricas prohibetur missa votiva pro sponso et sponsa (3) ; tunc nempe celebretur missa diei cum commemoratione missae sponsalis (4), et sub ea, loco proprio, nuptialis benedictio impertiatur. Quinimo

(1) Non potest haec benedictio dari nisi *in missa*. In quantum autem fieri potest, servanda est missa *pro sponso et sponsa ;* et ideo, in decreto C. S. O., diei 1 Sept. 1841, permittitur ut, ubi sacerdos in celebratione nuptiarum missam non applicat sponsis, quia ab iisdem eleemosynam non receperit, permittitur, inquam, ut per missam votivam pro sponso et sponsa possit satisfacere obligationi ex stipendio aliunde accepto contractae, nisi stipendii oblator aliam missae qualitatem absolutè voluerit. Cf. *Collat. Brug.*, l. p. 98 ; XIV, p. 245.

(2) Providetur in can. 1108, § 3, quod Ordinarii locorum « possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus clausis, eam sollemnem benedictionem) permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant ».

(3) Dies autem a rubricis excepti (in quibus scil. missa pro sponso et sponsa dici nequit) sunt : dies dominicae, festa de praecepto et duplicia 1 vel 2 classis ; ulterius dies infra octavam Epiphaniae, vigilia et dies infra octavam Pentecostes, necnon tota octava SS. Corporis Christi ; etiam dies Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ad tandem dies rogationum, in ecclesiis parochialibus unam tantum missam habentibus. Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 96 ss., XIX, p. 461. — Nota quod missa pro sponso et sponsa prohibetur tempore clauso ; sed, ubi Ordinarius dispensat in tempore feriato et aliunde non excluditur a rubricis, celebrare eam licet.

(4) Haec commemoratio pro sponsis etiam addi potest, juxta decr. S. C. R., 15 Junii 1918, in dominica Resurrectionis et in Nativitate, quando Ordinarius dispensat in tempore clauso ; addatur autem commemoratio sub unica conclusione.

urget Ecclesia ut, in quantum fieri potest, nuptiae, nondum benedictae ex parte mulieris, sollemniter benedicantur, etiam diu post celebrationem matrimonii ; ad quam benedictionem hortandi sunt conjuges nondum benedicti.

102[1]. 2° Praescriptiones *juris dioecesani :*

In dioecesi Brugensi, Episcopus, per decretum diei 14 Oct. 1897, peculiares approbavit caeremonias missae celebrationi praevias, quas, mixtas cum *Ritualis Romani* praescriptionibus, in dicta dioecesi observandas statuit.

Nimirum, ante consensus exquisitionem, sponsos aspergat sacerdos aqua benedicta, eisque explicet quae sit sacramenti matrimonii gratia et quanta sacri vinculi, quo se mutuò obstringere volunt, obligatio. Pro ipsa autem consensus emissione, non tantùm jubeat nupturientes manus jungere, sed eorum dexteras stola involvat ; post quae eorum consensum exquirat modo in *Rituali* descripto, servata formula *Ego vos conjungo.* Deinceps, revoluta stola, aspergat eos aqua benedicta, ac procedat ad benedictionem ejusque annuli insertionem, in sinistra manu juxta ritum et formulas *Ritualis* ; aliique ritus adhibeantur in *Supplemento* ad *Rit. Rom.* adnexo.

III. Tempus et locus celebrationis.

103[2]. Quod spectat 1° **tempus** matrimonii celebrationi idoneum : a/ juxta can. 1108, § 1, « *quolibet anni tempore* contrahi potest », adeo ut coram jure communi ne tempus quidem clausum excipiatur.

Cui dispositioni juris communis exinceps sese conformat jus particulare Brugense (3), abrogata disciplina

(1) M., 198.
(2) M., 199.
(3) Congr. prosyn. anni 1919, n. IX.

ibidem vigente, juxta quam hucusque prohibebatur, in dioecesi Brugensi, contractus matrimonialis tempore clauso ineundus.

b/ *Sollemnitas nuptiarum*, canone 1108, § 2, vetatur per tempus clausum, i. e., juxta novam disciplinam, « a prima dominica adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a fieria IV cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive » ; modò autem vidimus Ordinarios posse benedictionem nuptialem permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

Sollemnitas nuptiarum consistit praeprimis in benedictione sollemni, sed etiam comprehendit alias accessorias sollemnitates et apparatus, puta sonitum campanarum et organorum, usum tapetum, convivia nuptialia necnon traductionem sponsae olim in usu.

104(1). Quod spectat 2° **locum** in quo matrimonium catholicorum sit celebrandum: juxta *Rit.Rom.*, Tit. VII,cap. 1°, n.16, « *inecclesia* maxime celebrari decet ». Juxta *Pastorale Brugense*, p. 123, cujus ordinationes disciplinares etiamnum vigent, « nullibi celebretur matrimonium nisi in ecclesia, excepto gravis necessitatis casu, cujus judicium, extra mortis periculum, Ordinario reservatur » ; magis adhuc determinat can. 1109, § 1, urgendo ut regulariter matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia *paroeciali ;* potest tamen celebrari in alia ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico (2), sed « nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi ; potest etiam ab Ordinario permitti ut matrimonium celebretur *in aedibus*

(1) M., 200.

(2) In ecclesiis et oratoriis seminariorum et religiosarum non permittitur matrimonii celebratio nisi de licentia Ordinarii et urgente necessitate, adhibitis insuper opportunis cautelis. Can. 1109, § 2.

privatis, sed « in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper justa ac rationabili causa ».

Causa legitimans matrimonii celebrationem extra ecclesiam, varia esse potest, signanter impotentia, penes alterutrum sponsum, ecclesiam adeundi, necessitas clam convalidaedi matrimonium ignoto vitio invalidum, aut aliàs celebrandi matrimonium conscientiae. Urgentissima profectò obtinet causa domi celebrandi nuptias, quando nuptialiter copulandus est moribundus per matrimonium, uti vocatur, *in extremis*. Caeterum attende coram jure communi non requiri, praeter consensum Ordinarii, nisi causam justam ac rationabilem; supponitur tamen casus extraordinarius.

Articulus 2s. De officio parochi in celebratione matrimonii quorumdam nupturientium.

I. Erga ineuntes matrimonium mixtum.

105(1). Parochus *regulariter* non potest assistere matrimonio *mixtae religionis* vel *disparis cultus*, nisi postquam, positis ponendis, legitima obtenta fuerit dispensatio, salva forsitan (2) exceptione facta, de expressa venia S. Sedis, pro quibusdam regionibus Germaniae, Austriae et Hungariae, ubi parochus, spreta licet vel denegata dispensatione, assistentiam suam praebere hucusque poterat matrimonio mixto; seponitur utique hypothesis recursus instituti ad S. Sedem, quando, ob gravia adjuncta, praesentia sacerdotis judicatur necessaria.

(1) M., 512.

(2) Dubia est solutio quaestionis utrum circa illam veniam olim factam applicanda sit dispositio can. 4, vi cujus indulta servari possunt, an vero dispositio can. 6, n. 1, abrogans leges particulares Codicis praescriptis contrarias.

106[1]. Porro, quomodocumque parocho integrum est assistere nuptiis mixtis (in utroque sensu), *peculiaris praescriptio est observanda.* Nimirum *regulariter* non potest assistere nisi *passivè* tantùm et *extra ecclesiam.* Circa quae attende :

1° *Passivè assistere* importat assistentiam quae excludat quemvis ecclesiasticum ritum, assistente sacerdote, uti aiunt, in nigris. Non est tamen assistentia omnino passiva, sed oportet, juxta disciplinam Decreti *Ne temere* et Codicis, ut parochus requirat excipiatque contrahentium consensum ; non excepto, ut videtur, casu quo, ad tramites modò dictorum, de speciali venia S. Sedis, permitteretur parocho assistere mixto matrimonio absque dispensatione inito : decretum scil. C. S. O., 21 Junii 1912, juxta quod, in hoc casu, omninò passivè erat assistendum, videtur per Codicem abrogatum.

2° *Extra ecclesiam* intellige extra ipsam ecclesiam ; potest namque consensus praestari in sacristia vel in loco ecclesiae adjuncto ; in dioecesi autem Brugensi, consulitur ut matrimonium celebretur in aula pastorali.

3° Dicitur *regulariter* : quia nonnunquam assistentia *activa* toleratur. Nimirum Ordinarii possunt, quando et in quantum id, ad graviora mala vitanda, judicant necessarium, celebrationem permittere in ecclesia et unum alterumve ritum concedere, *semper exclusa missae celebratione* (2).

---

(1) M., 510 s.

(2) Si parochus igitur judicet, attentis peculiaribus adjunctis, opportunum esse ut severa disciplina aliquantum mitigetur in gratiam cujusdam personae matrimonium mixtum contracturae, potest recurreread Episcopum ipsique rationis momenta exponere quae videantur mitigationem inducendam exigere.

II. Erga peccatores publicos.

107[1]. A. *Quoad peccatores* **publicos** et **notorie censuretos** (2) :

Publici peccatoris aut *censura notorie innodati* matrimonio ne assistat parochus, si « prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit (3) : excepto casu urgentis gravis causae, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium ». Can. 1066.

Causa erit praeprimis peccatum vitandum et scandalum ortum aut oriri natum ex concubinatu instaurato vel instaurando, ex civili matrimonio jam inito vel ineundo. Sane proportionanda est gravitas causae requisitae gravitati delicti, et gravior requiritur causa quando agitur de excommunicato vitando quam de excommunicato tolerato.

Nota, ad hoc ut matrimonii publici peccatoris assistentia, etiam absque urgenti causa, permittatur, sufficere accessum ad confessionem, non vero requiri quod absolutio fuerit impertita.

Etiam observa prohibitionem assistendi non urgeri coram causa gravi urgente, nec absolutè requiri ut Ordinarius consulatur, sed tantùm quatenus fieri potest idque circa gravitatem causae dumtaxat; unde, si aegre adiri potest Ordinarius, nihil obstat quominus parochus, supposita gravi causa urgente, propria auctoritate procedat.

---

(1) M., 195.

(2) Seponuntur indigni *non baptizati*, vel *sectae haereticae adscripti*, pro quibus attendendae sunt speciales leges ad Ecclesia conditae : de quibus actum est modò suprà.

(3) Confessio spectat publicos peccatores, reconciliato notoriè censuratos.

108[1]. B. Quod **apostatas** et *notorie adscriptos* **societati vetitae :**

Quando agitur de persona quae *vel fidem catholicam notoriè abjecit*, quin tamen ad sectam acatholicam transierit, vel de persona quae *notorie adscripta est societati ab Ecclesia damnatae*, signanter societati massonicae, *absolutè prohibetur* parochus ejus matrimonio assistere, *nisi consulto Ordinario ; Ordinarius* autem poterit, inspectis omnibus rei adjunctis, parocho permittere « ut matrimonio intersit, dummodò urgeat gravis causa et, pro suo prudenti arbitrio, Ordinarius judicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius conjugis». Can. 1065, § 2.

Hîc igitur, secus ac pro notorie excommunicatis, numquam potest parochus propria auctoritate procedere, sed *res deferenda est ad Ordinarium*, cujus est judicare de causae gravitate necnon de cautelarum sufficientia, et matrimonii assistentiam prohibere vel permittere; eam autem permittere potest etiam cum ecclesiastico ritu ac missae celebratione, cum nulla in canone inseratur restrictio, qualis in canone 1102, § 2 inseritur pro matrimoniis mixtis.

Caput II

DE OFFICIO CONFESSARII

109[2]. Confessarii rarò sese immiscendum habet celebrationi matrimonii. Ad sequentia scil. adjuncta vix non reducitur ejusdem immixtio :

1° Si confessarius, in confessione *moribundi*, detegat

(1) M., 196.
(2) M., 131 s.

urgere, ad consulendum conscientiae vel legitimationi prolis, *matrimonium in extremis*, et ab adeundo parocho prohibeatur ob temporis angustiam vel signanter ob sigilli legem: potest uti concessione facta in can. 1098, vi cujus matrimonium in casu celebrari potest coram duobus testibus (quorum praesentia sufficit ad valorem) et coram quocumque sacerdote. Cf. mox infrà, n. 111. Celebretur autem matrimonium ad normam communem, aut in modum matrimonii conscientiae, signanter in hypothesi intervenientis legis sigilli, pro opportunitate etiam dispensando, vi can. 1045 (suprà, n. 35), super praesentia testium (1).

110[(2)]. 2° Fieri potest quod, *extra periculum mortis*, reperiat confessarius adjuncta esse talia ut judicet matrimonium occultè esse celebrandum in modum *matrimonii conscientiae*, quando nempe ex una parte conscientiae status exigit matrimonium, et ex alia parte gravissima rationis momenta postulant ut nuptiae occultentur, vel etiam in supposito quod poenitens in concubinatu vivit et publicè reputatur legitimo matrimonio junctus. Tunc confessarius recurrat ad Episcopum, et ab eo (non a parocho) impetret opportunam facultatem, qua munitus matrimonium celebrari curet coram se et duobus familiaribus testibus secreto adstrictis (3).

(1) Ut confessarius admittat assistentiam testium, casu quo ex confessione innotuerit concubinatus, supponitur cautum esse a violatione sigilli, praevie obtenta licentia poenitentis.

(2) M., 160.

(3) Potest fieri quod in hoc casu recurrere debeat confessarius ad S. Poenitentiariam, quando nempe obstat impedimentum a S. Sede dispensandum: quo casu ad eadem S. Poenitentiaria conceditur fucultas assistendi matrimonio. Nimirum S. Poenitentiaria binas seorsim litteras concedit: dispensat in primis super impedimento additque clausulam lacerationis (n. 136); in alteris tribuit confessario facultatem ut ineatur matrimonium coram se et testibus, neque mandat ut litterae lacerentur, ac jubet ut in libro secreto annotetur matrimonium. *Instr. past. Eystetten.*, n. 464. Cf. n. 70 et mox infrà, n. 140.

Scholion. De assistentia simplicis sacerdotis.

111[1]. *Simplex sacerdos*, qui nec parochus sit nec confessarius, potest assistere matrimonio, non tantum quando ad hoc delegatur a parocho (suprà, n. 94), sed etiam, citra omnem delegationem, in duplici casu sequenti, de quo in can. 1098 :

1° *In periculo mortis*, quando sine gravi incommodo adiri nequit nec haberi parochus ejusve delegatus.

2° *Extra periculum mortis*, quando grave incommodum, ab adeundo vel habendo parocho ejusve delegato prohibens, praevidetur per mensem duraturum.

In hoc nimirum duplici casu sufficit *pro valore* matrimonii assistentia solorum testium (2), sed *pro liceitate* advocandus est sacerdos, si praesto sit, ut una cum testibus assistat matrimonio.

---

(1) M., 131 s.

(2) Cf. infrà, n. 205, ubi, in nota, movetur quaestio utrum applicari possit can. 1098, quando formalitates civiles impleri nequeunt et exinde retinetur sacerdos ab assistendo, ob sanctiones legis civilis circa anterioritatem matrimonii civilis.

SECTIO TERTIA

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII POST MATRIMONII CELEBRATIONEM

Caput I

DE INSCRIPTIONE IN REGISTRO

I. **Regulariter officium** est parochi ut

112[1]. 1° statim, sive per se sive per alium a se ad hoc specialiter commissum, quamprimum « describat *in libro matrimoniorum* nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit » (2). Decr. *Ne temere*, art. IX, § 1. Adnotanda etiam est, in matrimoniorum libro, nullitatis declaratio ac dissolutio matrimonii, si contingat nullitatem declarari, vel illud dissolvi per professionem religiosam aut dispensationem pontificiam.

2° « *In libro* quoque *baptizatorum* (in margine) adnotet, conjugem tali die in sua parochia matrimonium

(1) M., 700.

(2) Mens est decreti *Ne temere*, *Ritualis Romani* necnon S. Congr. de sacramentis, in decreto 12 Martii 1910, ad 9m, ut matrimonium, *coram sacerdote delegato* celebratum, a parocho inseratur matrimoniorum libro ejusque notitia notetur et ab eo propria manu subscribatur, mentione facta delegationis datae.

contraxisse », addito nomine compartis (1). « Quodsi conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus *notitiam initi contractus* ad parochum baptismi, sive per se, sive per Curiam episcopalem (quod semper faciendum vult Episcopus Brugensis, si agitur de parochia alterius dioeceseos), transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur ». *Ibid.*, § 2 (2).

3° Si contingat prolem illegitime natam *legitimari*, sive per ipsum subsequens matrimonium (si fuerat proles naturalis), sive per legitimationis decretum, in dispensationis concessione aut fulminatione latum (si fuerat proles spuria), etiam legitimatio illa sedulò est notanda, praeterquam in libro matrimoniorum, in margine dicti *registri baptismalis*. Quodsi proles baptizata fuerit extra parochiam matrimonii, dictae legitimationis mentio inseratur in notitia contracti matrimonii transmittenda (3).

4° Pro matrimoniis conscientiae (suprà, n. 28), curare debet parochus ut a Cancellario episcopali inscriptio fiat in registro secreto ad hoc, sigillis munito, in quo notatur locus tempus celebrationis, cum indicatione testium.

113(4). Porro, circa notitiae transmissionem, nota:

a/ Jussit Episcopus Brugensis ut notitiae « transmissio fiat *infra biduum* a contracto matrimonio.... atque in omni notitia matrimonii transmittenda notetur *dies* baptismi suscepti ».

---

(1) Adnotari etiam debet, in libro baptizatorum, matrimonii dissolutio, si contingat. Can. 1988.

(2) Transmittenda est etiam notitia dissolutionis matrimonii, si casus occurrat. *Ibid.*

(3) Id jam decreverat Congreg. Prosyn. Brugensis, anno 1871, sub 6°, apud *Collect. epist. pastor.*, XII, p. 43 s.

(4) M., 700.

b/ Spectat eadem dispositio *utrumque* conjugem ; et ita, si uterque conjux alibi est baptizatus, et quidem diversis in paroeciis, ad utriusque conjugis parochum transmittenda est matrimonii notitia.

c/ « Celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, conjugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secum ferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adjecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi conjugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent ». Instr. S. C. de sacr., 6 martii 1911, ad 2m.

d/ « Si fortè accidat ut... baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii, comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis jam esse alligatum ; rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii ».

114(1). Dictum est *regulariter,* quia exceptionaliter contingit inscriptionem non esse de officio parochi. Nimirum, quando matrimonium celebratur in casu can. 1098, coram duobus scil. testibus vel et coram sacerdote non delegato, « sacerdos, si adfuit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum conjugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur ». Can. 1103, § 3.

115. II. Quod spectat **formulas adhibendas** :

En 1o *formulam ordinariam inscriptionis* in registro matrimoniali, quam proponit *Pastorale Brugense*, p 279, cum nonnullis additionibus factis juxta *Rituale Romanum* necnon juxta praescriptiones posteriores juris dioecesani Brugensis :

(1) M., 701.

« Anno Domini.... die.... mensis...., praeviis tribus bannis (vel : praeviis duobus bannis cum dispensatione in tertio, vel: praevio uno banno cum dispensatione in secundo et tertio), coram me infrascripto pastore hujus parochiae matrimonium legitimè contraxerunt N. N., filius N. et N., natus in N. et habitans in N., aetatis.... annorum, et N. N., filia N. et N., nata et habitans in hac (vel nata in N. et habitans in hac), aetatis.... annorum, praesentibus testibus N., filio N., qui habitat in parochia N. et N., filio N., qui habitat in parochia N. Exinceps eis, ex ritu S. Matris Ecclesiae, in missae celebratione benedixi » (1).

Circa quam formulam observa :

a si benedicitio nuptialis omissa fuit, puta ratione temporis feriati, vel ratione secundarum nuptiarum ex parte sponsae, id notetur, addito omissionis motivo.

b si ex contrahentibus aliquis viduus fuerit, exprimantur nomina conjugis cui junctus fuerat.

c si obtenta fuit dispensatio (pro foro externo) in aliquo impedimento, fiat in actu mentio tum illius impedimenti (accuratè discripti), tum dispensationis obtentae, addendo a quo et quando fuerit data.

d Si proles naturalis ante matrimonium nata fuerit ex neo-conjugatis, et, occasione matrimonii celebrationis, a sponso agnoscatur, ita ut per subsequens matrimonium legitimetur, id actui inseratur hisce verbis : « Insuper sponsus N. declaravit N., filium sponsae suae N., natum die..... mensis..... anni..... suam esse prolem, quam per matrimonium legitimare intendit » (2).

116 2° *Formulae exceptionales :*

a/ In casu assistentis sacerdotis *delegati :*

Anno Domini.... coram NN. presbytero, ex commissione mea matrimonium legitime contraxerunt... Exinceps idem N. N. presbyter eis, ex ritu S. Matris Ecclesiae, in missae celebratione benedixit. Et ego N., parochus N., subscripsi et testor rem ita se habere ».

(1) Hanc benedictionis nuptialis mentionem, in *Rituali* additam, inserendam decrevit Congr. Prosyn. Brug. anni 1908.

(2) Intelligitur declaratio facta coram parocho, eaque veritate nitens ; non autem sufficit declaratio facta coram foro civili, in quo nonnunquam exigitur prolis agnitio facienda a viro matrem ducente, etiam ubi constat ipsum non esse patrem naturalem prolis agnoscendae.

b/ In casu can. 1098 :

« Anno Domini.... die.... mensis.... N. N., filius N. et N., natus in N. et habitans in N., aetatis.... annorum, in imminenti mortis periculo constitutus, et consulere exoptans conscientiae (vel legitimationi prolis), prorsus deficiente tempore advocandi Ordinarium vel parochum loci, aut opportunam delegationem impetrandi, ad tramites can. 1098. coram N. N. sacerdote et duobus testibus N. et N., matrimonium legitimè contraxit cum N., filia N... et N... etc. Et ego N., parochus N., subscripsi el testor rem ita se habere ».

Quodsi dispensatum fuerit, vi facultatis concessae can. 1044, impertitae dispensationis fiat mentio, memorando facultatem invocatam.

117. 3° Formula *notitiae matrimonialis* transmittendae :

« Reverende Domine Pastor,

Reverentiam vestram certiorem facio N. N., aetatis..., filium (filiam) N. et N., in parochia tua, die.... mensis.... anni.... baptizatum (baptizatam), coram me infrascripto (vel coram Rev. D° N., a me specialiter delegato) et duobus testibus N. et N., die.... mensis.... anni.... legitimè contraxisse matrimonium cum N. N., filia (filio) N. et N. Quod matrimonium dignetur Reverentia vestra in baptismi librum referre.

Responsum, si fortè necessarium, ad me infrascriptum mittere velis.

Veneranter subscribo N., parochus N.

Caput II

DE DIRECTIONE DANDA CONJUGIBUS QUOAD USUM MATRIMONII

118. Ex natura rei illud officium conjuges in hoc negotio dirigendi spectat vix non *solum confessarium*. Quae vero dicentur, possunt, proportione servata, utiliter prae oculis haberi a parocho, in quantam, occasione data, hanc materiam tractare debeat.

Articulus I^s. **Monita generalia.**

119[1]. 1° Conjuges *nihil confitentes* nec aliquid sciscistantes circa usum matrimonii, plerumque, exceptis scilicet conjugibus quorum spectata probitas est nota, juvat generali sub formula interrogare utrum officia status ritè adimpleverint. Imò, si suspicio detur gravis inordinationis, diligentius est indagandum et prudenter urgendi sunt poenitentes ut peccata aperiant, ne, confessarii incuria, in peccatis sordescant : prae oculis habeantur notatim principia et normae infrà, nn. 131 ss., proponenda, circa onanismum.

Quod munus prudenter est obeundum, ne ignota addiscant vel suspicentur poenitentes, neve modestiam laedat sacerdos.

120[2]. Si 2° *anxios* sese dicunt *circa conjugalia jura ac officia,* tunc praeprimis sacerdoti opus est singulari prudentia et modestia. Nam ex una parte, uti sedulò notandum volumus, non sufficit prae nimia modestia dubia removere, generali formula quietem commendando, ac ita responsum eludere, cum maximo nonnunquam detrimento animae ac pacis familiae, ex malè intellectis juribus et officiis respectivis conjugum continuis jurgiis disturbatae ; ex altera verò parte difficilius cavetur ab omni modestiae laesione, ubi ad particularia est descendendum nec sufficit abstracta proponere principia.

Porro prudentia suadet ut hujusmodi poenitentes, in hisce negotiis anxios repertos, cautè adducat confessarius ut ipsi spontè exponant anxietatis objectum, potius quam interroganti et scrutanti sacerdoti aperiant. Praeterae

(1) M., 697.
(2) M., 698.

solerter distinguat et secernat confessarius dubia theologica a dubiis mere physiologicis, et optimè compertum habeat et alta mente repositum, suum officium non esse haec ultima solvere, sed illa solvenda relinquere medico vel chirurgo, praesertim si agatur de uxore : memor sit se non esse medicum corporis sed animae, seque illa dumtaxat impune tentare pericula ad quae adeunda strictum urget officium.

Tandem, in ipsis enodandis difficultatibus subjectis, attendat confessarius in hisce rebus passim sufficere ut conjuges sciant quid faciendo vel omittendo peccatum *mortale* effugere queant, adeoque regulariter abstineat ab ulteriori explicatione circa venialem inordinationem, putà circa modum coëundi et alia hujusmodi, in qua caeteroquin intimiori explicatione gravius non rarò latet castitatis sacerdotalis discrimen.

121(1). 3° Bonum etiam est conjuges monere *non omnia quae licent expedire*, ac christianum decere ut etiam in matrimonio, pro conditione sua, continentem et morigeratam degat vitam, passiones cohibendo ac nimiam voluptatum cupiditatem, sublimem matrimonii finem prosequendo potius quam libidini vacando.

Ideo etiam, uti monent *Instructiones Episc. Belgii*, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 456, « omnibus conjugibus christianis auctores sint confessarii, ut nonnunquam, ad tempus, mutuoque consensu, ab actu matrimoniali abstineant, atque ita liberè eximiam illam virtutem sectentur quam multi necessitate coacti exercere posteà debent» (2).

(1) M., 698.

(2) « Même dans le mariage, dicit Card. MERCIER, *Lettre pastorale*, anni 1909, l'homme et la femme doivent modérer leurs désirs. Chaque mari doit avoir pour la complexion de sa femme les égards, les ménagements, que la prudence et la délicatesse du cœur commandent. Un jour peut venir où la sauvegarde de la santé de l'un des époux mettra entr'eux, pour longtemps peut-être, une barrière ; comment la respecteraient-ils alors, s'ils ignoraient les premiers efforts de la continence ? ».

Tandem pro opportunitate inculcentur suavissima monita FRANCISCI SALESII, *Introductio ad vitam devotam*, P. III, cap. 39, ostendendo quomodo, sicut non convenit mentem in cibos intentam habere, ita non deceat conjuges carnalibus voluptatibus continuò occupari ac detineri, carni vivendo potius quam spiritui; quomodo possint quidem, pro vocatione sua, mundo uti, sed ita ut affectum suum ei non affigant, sed tam liberi et expediti ad Deo serviendum sint, tanquam si eo penitus non uterentur.

ARTICULUS 2^S. **Monita specialia.**

I. CIRCA LICITAM PETITIONEM DEBITI.

122[1]. A. Potest conjux *licitè* petere ut ei a comparte debitum reddatur, quousque copula : a/ legitima est objectivè, ac simul b/ conjugi non prohibetur petitio debeti ratione voti castitatis emissi (2).

Objectivè illegitima redditur copula si evaserit ad generationem inepta, uti obtinet in casu supervenientis impotentiae; pariter objective illegitima redditur, supposita aliundè ad generationem aptitudine, per circumstantiam quae actui connectitur inordinatam, quam proportionata causa non abstergit (3), in specie per circumstantiam scandali indè provocati, vel situs non

(1) M., 207 ss. et 225 ss.

(2) Jam non est, sub disciplina Codicis, ratio habenda prohibitionis a petendo debito, ratione affinitatis illicitae, nec cognationis spiritualis.

(3) Copula ad generationem inepta *essentialiter* vitiatur, ac est *intrinsece mala*, adeo ut bene fieri nequeat. Contrà copula de se apta generationem, quae objective vitiatur per inordinatam circumstantiam accedentem, retinet suam essentialem legitimitatem, sed fit *malè sonans* tantùm, quatenus scil. possit bene fieri, sed quod, ad hoc ut bene fiat, indigeat causa cohonestante.

naturalis (1); etiam circumstantia nocumenti, quod natum est consequi ex commixtione, potest reddere copulam objectivè illicitam, sed rariùs et vix aliter quam in quantum nocumentum afficit tertiam personam, prolem scil. vel compartem insciam aut invitam (2).

Votum castitatis (3), ante matrimonium emissum, vovenem privat licentia *petendi* debitum; item votum matrimonio succedens: quod alterum votum passim est votum imperfectum nec obligat nisi in quantum illaesa sunt jura compartis.

Posita duplici conditione sub a/ et b/ invocata, *licita* manet debiti petitio, etiam in casu quo petens deciderit a *jure* petendi; hoc tantùm intercedit quod a jure decisus, si licitè petit, non habet jus compartem ad redditionem cogendi, quodque adeo haec compars ad reddendum non tenetur.

123(4). B. Quando confessarius obvium habet poenitentem, cui, ratione voti castitatis, *prohibetur debiti petitio:*

1° Si potest dispensare super voto, in ordine ad petendum debitum, dispenset.

(1) Situs est non naturalis si copula peragitur inter virum succubum et mulierem incubam, vel a latere aut a retro, more pecudum, potius quam facie ad faciem, muliere succuba. Inde inducitur inordinatio, sed *venialis* tantum, quae facilè abstergitur si rationabilis causa adest dicto modo coeundi, putà ad periculum abortus vitandum in uxore praegnante, propter obesitatem viri vel ob frigiditatem vitandam in alterutro. Supponitur autem, uti patet, salvari aptitudinem ad generationem, servato scil. vase debito et seclusa seminis profusione. Quod sedulò prae oculis habeat confessarius, audiens poenitentem confitentem se copulam instituisse retrorsum.

(2) Nocumentum *proprium* non reddit copulam illicitam, cum conjugibus integrum sit, vel et laudabile, sese exponere sanitatis laesioni ac etiam periculo vitae, ex motivo charitatis. Nocumentum autem inferendum camparti, ob eamdem rationem, non est attendendum, nisi in quantum dicta compars est nocumenti inscia vel invita.

(3) Votum castitatis est circumstantia sese tenens ex parte personae petentis, nec reddit copulam objective illegitimam, sicut circumstantiae, de quibus modò, sese tenentes ex parte actus.

(4) M., 231.

En autem quid valeat confessarius ad dispensandum super *voto castitatis* (1):

a/ *In casu urgente*, potest dispensare, vi can. 1045, § 3, super *natura et facto occulto* voto castitatis, *etiam reservato*, si deficiat tempus recurrendi ad Ordinarium (2).

b/ *Extra casum urgentem:* si agitur de voto castitatis, natura et facto occulto, ante matrimonium emisso, etiam reservato, potest, in dioecesi Brugensi, confessarius, si est Poenitentiarius, Decanus vel ad missiones deputatus, *dispensare*, ex potestate apostolica subdelegata, super dicto voto, in ordine ad petendum debitum, monito poenitente ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito vel uxori respectivè supervixerit (3); possunt iidem confessarii Brugenses, ex potestate episcopali delegata, pari modo *dispensare-commutando* super occulto voto castitatis S. Sedi *non reservato* (quale est votum post matrimonium emissum), ac idem valent quivis confessarii in diebus, sub n. 42 determinatis (4).

Formula sequens adhiberi potest: post exceptam scil. confessionem et concessam absolutionem a censuris, sed ante absolutionem sacramentalem, dicat: « Insuper, vi can. 1045 (vel auctoritate apostolica mihi specialiter subdelegata, vêl auctoritate episcopali mihi specialiter

---

(1) Abstrahimus a casu periculi mortis.

(2) Haec potestas confessarii dispensandi in ordine ad matrimonii usum, continetur, tanquam minus in majori, in generali potestate dispensandi in ordine ad matrimonium contrahendum et convalidandum, de qua suprà, n. 42, coll. n. 41, ubi describitur potestas dispensandi, in casu, *parocho* competens; coll. etiam n. 43, ubi determinatur potestas agnoscenda *simplici sacerdoti*, in casu can. 1098, necnon Superiori religionis clericalis exemptae.

(3) Cf. n. 39.

(4) Cf. iterum suprà, n. 42, ubi quaedam indicantur circa disciplinam, in aliis dioecesibus Belgii vigentem, ubi etiam notatur quandonam votum constitatis sit reservatum vel non.

delegata), dispenso tecum super voto casiitatis quod emisisti, ad hoc ut debitum conjugale licitè exigere possis, in nomine P. et F. et Spir. S. ».

Ubi autem in casu dispensatur, sufficit imponere poenitentiam; ubi vero dispensando-commutatur, ulterius praescribendum est opus aliquod pium in commutationem.

124[1]. 2° Quodsi confessarius nullam habet facultatem dispensandi, nec potest poenitentem remittere ad confessarium debita facultate instructum, recurrat pro dispensatione: ad *Ordinarium* (2).

Attendat tamen confessarius ut, si poenitens reperiatur in bona fide, eum de debiti petendi licentia amissa monere differat donec dispensatio est obtenta et concessa.

125[3]. *Nota.* Qui licitè petit, a fortiori licitè reddit debitum. Utrum vero qui illicite petit, possit licitè reddere debitum, opus est distinctione:

a/ Si illicita est petitio, quia copula est *objectivè* illegitima, non tantum illicita est debiti petitio sed et ejusdem

(1) M., 231.

(2) Ordinarius potest, vi can. 1313, n. 1, universim dispensare super voto castitatis *non reservato;* ulterius dispensare potest, vi can. 1045, § 1), super omni voto castitatis *etiam reservato,* in casu urgenti, quando scil. tempus non est adeundi S. Sedem; si vero adiri potest S. Sedes, habet Ordinarius facultatem, a S. Poenitentiaria acceptam dispensandi, in ordine ad debiti redditionem, super voto occulto privatim emisso. Ad S. Sedem proinde non esset recurrendum pro dispensatione super voto castitatis, in ordine ad debiti petitionem, nisi in casu non urgente et pro solo voto in congregatione religiosa emisso aut aliàs publico; sed hujusmodi voti dispensatio spectat forum externum.

Pro ipso autem recursu ad Ordinarium, supplicam conficiat confessarius juxta notata suprà, n. 72, ac juxta formulas ad calcem insertas et pro subjecta materia moderandas: exponendo, nomine poenitentis, votum castitatis (hoc ritè determinando) esse emissum post matrimonium vel esse violatum per matrimonium absque necessaria dispensatione initum, et postulando dispensationem in ordine ad licitam petitionem debiti.

(3) M., 228.

redditio (1); b/ si illicita est petitio ob circumstantiam sese tenentem ex parte petentis, signanter ratione voti, potest persona illicite petens debitum licite reddere, ac imo debet, infrà limites, sub n. 126 s. describendos.

II. Circa obligationem reddendi debitum.

126(2). Doceantur conjuges quod *gravi obligatione justitiae* tenentur sibi mutuò praestare copiam corporis, in ordine ad copulam conjugalem objective legitimam, quotiescumque id jure, licet forsan illicitè, petit compars.

Jure petitur debitum quousque petens, per spontaneam renuntiationem vel per violationem fidei conjugalis in adulterio, vel per separationem tori et cohabitationis, jure suo non privatur.

Quodsi conjux ad reddendum non tenetur ex justitia, quia compars jus suum amiserit, potest ad hoc obligari ex praecepto charitatis, causa scil. vitandi periculum incontinentiae penes compartem.

127(3). Attamen sedulò observandum est ab obligatione justitiae et charitatis ad reddendum debitum illud jure petenti, liberare posse *causas excusantes*.

In specie excusat *grave nocumentum* ex copula vel ex conceptione forte secutura reportandum : in cujus nocumenti gravitate dijudicanda, ratio habeatur oportet personarum et adjunctorum, atque attendi debet gravius requiri nocumentum ad debitum absolutè denegandum

(1) Id in specie valet pro casu quo matrimonio supervenit *impotentia consequens :* intacto relicto valore matrimonii, omnis usus redditur illicitus quousque impotentia perseverat, et copula est prohibenda, nisi graves rationes urgeant ut conjuges in bona fide relinquantur.

(2) M:, 216 s. et 220 ss.

(3) M., 235.

quam ad ejusdem redditionem differendam ejusve frequentiam moderandam (1).

Causa ad absolute denegandum debitum potest esse *proximum periculum morbum contrahendi contagiosum*, puta syphilim, per contagionis periodum (2), vel lepram; item *extraordinarium periculum* quod, experientia teste vel de medici judicio, timetur *ex partu*. Contrà pericula ordinaria, dolores et molestiae, quae praegnantiam et partum comitantur ac consequuntur, non possunt invocari ut debitum denegetur. Frustrà etiam praetextaretur multitudo prolium, vel et inopia exinde exsurgens, nisi forsitan summa egestas immineat et agatur de uxore respectu viri omnem prolium curam abjicientis.

Confessarii autem est, omnibus attentis et in specie attento incontinentiae periculo penes virum, judicare, in casu, utrum opportunum sit uxorem non interrogantem monere de praesentia causae a reddendi obligatione excusantis; utrum etiam non juvet eam, obligationis cessationis consciam, ad reddendum debitum hortari.

III. Circa actus non consummatos mutuos et solitarios necnon actus internos.

128(3). Dirigat confessarius poenitentes conjuges *juxta triplex principium* sequens :

---

(1) Ita *debilitas uxoris*, quae non sufficiat ad copulam absolutè denegandam, potest esse ratio ad redditionis dilationem, vel ad eam denegandam adeo frequentem qualis a viro expetitur. Pariter non videtur uxori deesse motivum proscrastinandi copulam expostulatam a viro *in ebrietate* versante, licet rationis usum non complete amiserit ; meritò nempe grave haberetur onus hujusmodi pro muliere honesta, eo vel magis quod gravamini facilè accedet fundatus timor ne ebriosus ille status mariti noceat proli ex tali coitu forte nascendae.

(2) Quae suprà, n. 20, dicta sunt de syphilicis removendis a matrimonio contrahendo, et hic suam applicationem habent.

(3) M., 211-214.

1° Actus non consummati *mutuì*, pollutioni non aequivalentes, liciti sunt inter conjuges, ac liciti manent, etiam quando causae per se existunt pollutionis, modò urgens et gravis praesto sit causa illos actus ponendi, nec pollutio intendatur, nec timeatur consensus in eam.

2° Actus non consummati *solitarii* pariter licent in quantum servatur ordo ad copulam, sive habendam sive habitam perficiendam ; aliàs non videntur excusari a gravi, etiam secluso pollutionis periculo.

3° Quod spectat *actus internos*, extra circumstantiam copulae et sine ordinatione ad illam, putà absente comparte admissos : possunt conjuges desiderare copulam futuram, voluntate probare copulam habitam, necnon voluntate sibi complacere in copula qua praesenti cogitata ; objectum namque variorum illorum actuum est res licita (1).

129 (2). Circa quae *nota :* a/ Gravis ratio quae, in actibus *mutuis*, abstergat inordinationem orientem ex eo quod actus illi *causa per se* existunt *pollutionis*, est necessitas vitandi gravem infidelitatis suspicionem, vel speciale signum amoris praebendi, notando eo graviorem rationem requiri quo inhonestiores sunt actus admissi.

Quodsi actus inter conjuges admissi sunt *causae per accidens* tantùm pollutionis, quales sunt aspectus, tactus, oscula, amplexus minus turpia vel obiter facta, non inducunt nisi levem inordinationem, levi ratione abstergibilem : quae ratio inter conjuges non deerit. Item levis est inordinatio, pari modo absterganda, quae inducitur

(1) Ab hisce sedulò distingue commotionem carnalem in ipso corpore, et delectationem ei adnexam, de cujus commotionis provocatione judicandum est sicut de actu venereo solitario.

(2) M., 211 s.

ex eo quod actus illi de se nati sunt provocare distillationem.

Juvat etiam notare, in descriptis actibus levem posse incurri inordinationem ratione laesae decentiae naturalis, vel ratione exclusi finis operis in intentione operantis.

130[1]. b/ Ratione ordinis in actibus *solitariis* servati ad copulam perficiendam, posset uxor frigidioris naturae esse excitare tactibus solitariis, ad hoc ut perfecta excitatio venerea correspondeat momento seminationis virilis ; posset etiam, si hanc perfectam veneream excitationem praevenerit seminatio viri, inchoatam excitationem perficere et hac ratione actum complere et integrare ; non autem posset permitti uxori ut ad copulam habendam non procedat nisi postquam sese excitando pollutionem provocaverit. Notetur etiam supponi copulam legitimè institutam ; nec adeo posset dicta copulae integratio permitti si copula fuerit onanisticè peracta.

Non censentur legitimi actus solitarii imperfecti, quotiescumque non possunt haberi ut copulam perficientes vel praeparantes, putà in absentia diuturna compartis. Attamen, cum benignior sententia, actus nimirum non consummatos a conjuge admissos, *ratione ipsius status conjugalis*, legitimari vel saltem a gravi excusari, a pluribus iisque egregiis Autoribus habeatur uti probabilis, potest confessarius, cui intrinseca illius sententiae improbabitas non est perspecta, auctoritate extrinseca niti ut severiorem solutionem non urgeat.

---

(1) M., 213.

IV. Circa onanismum.

A. Officium interrogandi.

131[1]. Si conjuges nihil confitentur circa peccata in usu conjugii admissa, in specie circa onanismum, et non datur specialis ratio hoc vitium suspicandi, non sunt interrogandi, juxta dicta sub n. 119, nisi sub generali formula, utrum nempe officia status ritè adimpleverint : a qua etiam generali interrogatione opportunè abstinebit confessarius cum illis poenitentibus qui ex ipsius confessionis indole vel aliundè probè noscuntur ab hoc vitio alieni.

Quodsi, attentis conditione vitae poenitentis vel aliis indiciis, prudenter dijudicandis, fundata sit onanisticae praexeos suspicio (2), *regulariter* tenetur confessarius intimius scrutari ac magis determinatè urgere interrogationes : « quaeri potest v. gr. num poenitens in matrimonio verè christianè vixerit, vel num quoad officia matrimonii nihil conscientiam remordeat, vel etiam, explicitius et generatim melius, an se conformet divinae voluntati circa filiorum generationem » (3).

(1) M., 241.

(2) « Haec fundata suspicio facilius aderit si poenitens mundanam ac parùm devotam vitam agat, si alia peccata gravia contra castitatem declaret,.... si rarò, imò rarissimè, ad sacramenta accedat, praesertim, si multum in loco vigeat pessima praxis. Contrà minus erit timendum, si poenitens jam numerosam prolem habet, si aliunde christianè vivit, si magna cum cura omnia et singula peccata declarat, si frequentius sacramenta suscipere solet ». *Collationes Tornacenses*, 1910, p. 411.

(3) *Instructiones Episc. Belgii contra onanismum*, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 458. Ubi autem peculiaria adjuncta majorem suadent prudentiam, et cautius videtur procedendum ne poenitens offendatur : potest spontanea confessio provocari, suadendo conjugi ut matrimonii leges sanctè servet, benedictionem a Deo impetret super prole suscepta et suscipienda, utque prolis nascendae, quasi divini pignoris, curam sollicitè in se suscipiat.

132[1]. Dicitur : *regulariter :* quia *omninò exceptionaliter* potest contingere conjuges suspectos in hac re versari in bona fide, eosque in ea opportunè relinquia confessario.

Nimirum locus esse potest *bonae fidei*, sed rarius et passim ad breve damtaxat tempus : haud difficulter namque menti occurrit intrinseca onanismi inordinatio, vitium importans contra naturam, eo vel magis quod nunc temporis adeò insistatur in illius peccati malitia, quodque tam evidenter appareant lugendae illius sequelae. Vbi autem praesto est bona fides nec praevidetur illicò disturbanda, potest nonnunquam confesserius ab interrogatione abstinere, quando nempe meritó timet interrogationem ac monitionem non esse profuturam.

Atverò prudenter et cautè est admittenda haec derogatio ad regulam generalem : timor malae dispositionis non est fingendus ; quinimò, etiam ubi poenitens praevidetur non obtemperaturus, non rarò praestat equidem interrogare, quia, praeterquam quod bona fides non diu manebit, natum est fieri, in praesentis praesertim temporis adjunctis, in quibus attentio ad haec plurimum movetur, ut silentium confessarii habeatur pro tacita approbatione, tum penes ipsum poenitentem, tum penes alios id audituros ; unde grave discrimen pro bono publico.

B. *Officium* **monendi** *et* **docendi.**

133[2]. Quod spectat conjuges, quos confessarius ex spontanea cordis aperitione reperit onanismi praxi addictos, distinguenda est *duplex hypothesis :* vel agitur de conjugibus qui scienter et volenter onanismum exercent ; vel agitur de uxore virum habente onanistam, cui merè materialiter cooperatur.

(1) M., 241.
(2) M., 242.

Jamvero *ad primum :*

Conjuges, quos confessarius in confessione audit onanismum exercentes, debent severissimè moneri de malitia admodum gravi illius peccati, juxta normam ab ipsa S. Sede inculcatam. Quae norma absoluta est et nulli omnino exceptioni obnoxia, quotiescumque de moralitate dictae actionis directè interrogatur confessarius, vel quando dubius haeret poenitens (1).

Quodsi agatur de poenitente onanismum quidem fatente sed bona fide reputante praxim onanisticam sibi licere, nec speretur monitio profutura : re abstractè spectata, potest, etiam in hac hypothesi, stricto jure permitti ut in bona fide relinquatur ; atvero, rem practicè et in concreto sumendo, vix vel ne vix quidem huic agendi rationi erit locus.

Et sanè rationes, quas modò, sub fine n. 132, induximus contra silentium servandum et abstinentiam ab interrogando, hîc multo pressius urgent : facilius enim in hoc casu silentium confessarii, actionem suo judicio aequivalenter subjectam non reprobantis, aequivalebit approbationi, ac valdè magis timenda erit hujus confessarii silentii divulgatio, cum gravissimo boni publici discrimine.

Ad secundum :

134 (2). Si quaeratur de docenda et monenda uxore

(1) Monendi etiam sunt poenitentes de peccati reservatione, ubi viget, quemadmodum in dioecesi Brugensi, in qua, inde ab anno 1919, introducta est reservatio onanismi conjugalis, sive per retractum sive ope instrumenti instituti, modò agatur « de poenitente recidivo et in anteriori confessione de gravitate delicti ejusque reservatione jam monito ».

(2) M., 243.

materialiter tantùm cooperante onanisticae copulae (1), en normas pro opportunitate applicandas :

1° Nunquam ex justitia obligatur uxor ad reddendum debitum conjugale viro petenti copulam quomodocumque onanisticam. Ratio est quia, juxta superius dicta, sub n.126, non datur obligatio nisi ad copulam objective legitimam.

2° Non potest debitum reddere viro ipsam sollicitanti ad copulam exercendam *condomisticè*, ope pallioli seu involucri : immediatè namque participaret uxor in actione intrinsecè mala, in quantum est inordinata. Oporteret ut mulier in casu positivè et physicè resistat pro posse, non secus ac puella quam invaderet stuprator, nec cedere posset mulier nisi coram violentia physica.

3° Si novit maritum coiturum *cum retractu :* a/ potest *reddere* debitum *gravi de causa*, et *salvis cautelis* adhibendis ; b/ potest *petere* debitum, sed graviori tantum de causa.

Quod possit gravi de causa *reddere* debitum, inde est quod, « in proposito casu, mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit » (2) ; eo ipso cooperatio non est immediata, sed mediata dumtaxat, a qua excusat gravis ratio ; charitas autem, qua illud peccatum viri impedire teneretur uxor, cum tanto incommodo non obligat.

(1) Seponitur igitur casus quo ipsa mulier adhibet instrumentum praeservativum, putà pessarium occlusivum, vel utitur infusione liquidi seu pulveris occisivi ; seponitur etiam omnis consensus in copulam onanisticam, ac quaevis excitatio ad eam, sive directa, sive indirecta, quatenus conqueratur uxor de liberorum numero, de periculo partus etc... : esset enim cooperatio formalis, eique principia essent applicanda quae posita sunt sub primo.

(2) Resp. S. Poenitentiariae, diei 23 Apr. 1822.

Quod requiratur *gravis causa*, sequitur ex eo quod, ratione cooperationis mediatae strictè dictae ad peccatum mariti, opus sit ratione compensante malum effectum ad quem cooperatur uxor; est enim actio ex ejus parte malè sonans, cujus inordinatio est absterganda per causam proportionatam.

Causa sufficiens est « si ex ejus (debiti) denegatione, malè habenda sit a viro suo et grave inde incommodum sibi timere possit » (1).

135[2]. *Cautelae* autem sunt a/ ut scandalum amoverit, coram viro protestando, in quantum opportunè fieri potest, contra hujusmodi nefandum scelus ; b/ ut ex una parte maritum non tantum nec directè nec indirectè ad onanismum excitaverit, sed ipsum, omni qua par est zelo, a nefario hoc opere revocare conata sit, et ex altera parte, ut ipsum opus detestetur nec ullo modo consentiat copulae qua est onanistica, nec ejus qua talis delectationi, quamvis possit delectari de copula simpliciter, imo et de effectu secuto, detestata causa.

Quod ad *petendum* debitum gravior causa requiratur patet, siquidem cooperationi stricte dictae, quae inest redditioni, accedit cooperatio late dicta, quatenus petitione sua influit in virum ut copulam enerceat quam

(1) « Tunc autem..... grave incommodum subiret uxor 1. si mors, verbera aut graves saevitiae timendae sint, quae ex circumstantiis personarum dijudicandae sunt ;.... 2. si fundatè timeat ne maritus concubinam in domo conjugali habeat, et cum illa maritaliter vivat vel etiam eam alibi frequentet vel ad meretrices aecedat ; 3. si certò sciat virum, ex repulsu iratum, blasphemias in Deum et in religionem vel verba scandalosa coram fumulis vel liberis pronuntiaturum ; 4. si timendum sit divortium vel separatio aut infamia aut grave scandalum : 5. si timenda sint jurgia, rixae, dissensiones frequentes.... ». *N. R. th.*, IX, p. 326.

(2) M.. 243 s.

praevidet fore onanisticam. Hujusmodi causa gravior esset periculum imminens incontinentiae.

« Etiam in hoc casu, uxoris scil. materialiter cooperantis, monent *Instructiones*, erga ipsam (uxorem) severitati propendendum potius quam laxitati, ne ad hoc deveniatur quod, viris a sacramentis rejectis, subtili distinctione mulieres onanismo indulgentes passim admittantur ». In specie severè monenda est uxor circa alterius cautelae observantiam, ut probè sciat se gravem reatum non evadere nisi omni conatu nisa sit maritum ab onanistica praxi avertere (1).

Nota. Iisdem attentis principiis et salvis iisdem cautelis, possit permitti marito ut debitum reddat uxori quam novit expulsuram vel destructuram semen suscipiendum ; id non posset cum uxore vaginam obturante.

C. *Officium* **medendi.**

136(2). a/ *Persuasio ingeratur de gravi malitia :* ostendendo quomodo luxuria committatur contra naturam ac directè destruatur finis a Deo intentus.

a/ *Praetextus refellantur* : qui « ad duplex genus aptè referuntur, cum alii quidem nolint onus numerosae prolis assumere, alii verò velint gestationis et praesertim partus periculum uxori cavere » (3). *Instr.*, p. 455.

---

(1) Cf. suprà, n. 130, ubi notatur non posse permitti uxori ut solitariè perficiat in se copulam onanisticè peractam ; facilius tamen erit ratio eam relinquendi in bona fide circa hoc.

(2) M., 245.

(3) « Quod verò spectat ad illos qui ex novo partu timent vitae uxoris, reponi potest, verbis generalibus, nonnullos medicos nimis facilè periculum mortis ex partu obveniendum affirmare ; insuper artem obstetricam atque chirurgicam hodiedum ita progressam esse ut vix mortis periculum aptis adhibitis mediis non caveri possit ;

c/ *Incute timorem salutarem* : provocando ad vindictam divinam quam in se attrahunt onanistae per vitium contra naturam. Quem salutarem metum excita in illis praesertim qui, egoismo ducti, ad onus nascendae prolis effugiendum legibus generationis renituntur: qui «timeant ne duriora et graviora aliquando incurrant, cum saepenumero in prole nata nimis dilecta, jam in terris, vindice manu Dei puniantur ».

d/ *Causas debella,* ex quibus onanismus procedit, et prae caeteris materialisticum vitae conceptum necnon voluntatis mollitiem : provocando in conjugibus altiorem conceptum matrimonii, eosque compellando ad strenuum exercitium virilitatis christianae ac moderatam voluptatum fruitionem.

137[1]. e Juxta responsum S. Poenitentiariae, 16 Junii 1880, potest nonnunquam cautè insinuari poenitenti, ut non utatur matrimonio nisi tempore *ageneseos* (2); sed hoc non potest indiscriminatim proponi, nec tanquam medium *certum* foecundationis vitandae.

Quinimò non videntur reprobandi confessarii, qui, in desperatis adjunctis, per modum ultimi effugii, permittunt conjugibus tanquam minus malum, copulam exercere ea lege ut eam incoeptam abrumpant ante

---

caeteroquin ab alia parte sterilitatem voluntariam onanismi vitio procuratam non esse sine detrimento sanitatis ; quodsi tandem verum adsit periculum, ipsis non superesse nisi praxim continentiae vel periculi sustentationem ». Quodsi vir paratus quidem sit ad copulam ritè peragendam, uxor autem non possit adduci ad mortis periculum subeundum, potest ipsi prudenter applicari norma, sub n. 127 proposita, circa causam a debiti reddendi obligatione excusantem.

(1) M., 245 s.

(2) Tempus *ageneseos*, uti nomen indicat, est tempus foecundationi minus idoneum: decurrens scil. inter 14^{m} vel 15^{m} post fluxum menstruum et 3^{m} et 4^{m} diem ante profluvium sequens.

seminationem, hanc cohibendo: supponitur utique conjugibus experientia constare, hujusmodi copulationem pro ipsis non aequivalere pollutioni.

Quodsi, omnibus remediis ac zeli industriis frustra exhaustis, non succedat confessario poenitentem, malitiae conscium, a praxi onanistica avertere, non remanet nisi ut dimittatur tanquam indispositus, absolutione denegata.

Quibus normis sese conforment confessarii omnes, nec officio suo, quantumvis interdum duriori, deficiant, in nimiam indulgentiam declinando, quemadmodum id nonnunquam fieri meritò timetur.

Scholion. *De usu matrimonii* **dubiè validi.**

138[1]. Si, inquisitione facta, dubium probabile perseverat, nec per dispensationem ad cautelam et convalidationem matrimonii removeri potest, licet regulariter conjugibus, favore probabilitatis, uti conjugio, quia agitur de mera liceitate actus, adeoque nihil obstat quominus a probabilitate speculativa transitus fiat ad practicam. Id etiam valet ubi dubium versatur circa existentiam impotentiae antecedentis et perpetuae.

Dicitur: *regulariter*, quia excipi potest casus quo dubium de valore oritur ex dubio circa existentiam anterioris vinculi; quo casu ratio est habenda juris prioris conjugis probabiliter superstitis. Et quidem

a/ si ambo conjuges contraxerunt mala fide, conscii scil. dubii circa praevium matrimonium, non possunt petere nec reddere debitum, ac separandi sunt: praevalet enim, propter eorum malam fidem, jus probabile conjugis probabiliter viventis juri praesentium conjugum.

b/ Si uterque bona fide contraxit, non est ipsis inter-

(1) M., 237.

dicendus usus conjugii, quia, attenta eorum bona fide, censetur jus ipsorum praevalere juri probabili prioris conjugis.

c Si una pars bona fide contraxit, altera autem mala fide, prior potest petere debitum et altera non, uti patet ex ratione modò allata ; potest tamen haec altera pars et debet reddere, cum jus praesentis compartis innocentis praevaleat juri anterioris conjugis.

Caput III

DE MATRIMONII VALIDI DISSOCIATIONE

139. *Praenotandum.* Matrimonium validum (1) obnoxium esse potest dissociationi duplicis speciei : *dissolutioni quoad vinculum* et *separationi a toro et cohabitatione* vel *a solo toro.*

Dissolvi quoad vinculum potest, positis ponendis, matrimonium *legitimum*, validè scil. initum inter duos infideles seu non baptizatos, necnon matrimonium *ratum non consummatum ;* dum matrimonium *ratum et consummatum* absolutè indissolubile est quoad vinculum et obnoxium soli separationi tori et tecti. Nimirum

I. *Quod spectat* **matrimonium legitimum :**

140(2). Locus est dissolutioni *in casu Apostoli :*

Quando nempe una pars convertitur et altera pars, in

(1) Ad dijudicandum valorem matrimonii eorum qui ex haeresi vel infidelitate convertuntur ad Ecclesiam catholicam, prae oculis habeatur infideles inter se nubentes, impedimentis juris ecclesiastici non ligari, sed solis impedimentis juris naturalis, divini et civilis; haereticos vero baptizatos obnoxios esse etiam impedimentis canonicis ab Ecclesia inductis, nisi specialiter fuerint exempti, uti contingit pro impedimento clandestinitatis, cui non adstringuntur acatholici inter se matrimonium ineuntes.

(2) M., 341 ss.

infidelitate remanens, non vult cohabitare vel non pacificè, quatenus scil. conatur partem conversam a fide avertere aut ad grave peccatum deducere, vel quatenus versatur in impossibilitate consortium maritale instaurandi : tunc, si de descriptis conditionibus ritè constet per interpellationem ad tramites juris institutam, potest pars baptizata novum matrimonium inire, ac ipso facto novi matrimonii celebrati dissolvitur primum, adeo ut etiam parti in infidelitate relictae liberum sit ad novas nuptias transire.

Causa haec de matrimonii dissolutione in casu Apostoli est inter causas majores quae reservantur Ordinario, adeo ut officium *parochi* restringatur ad praeviam inquisitionem et insructionem causae ejusque relationem ad Episcopum. *Confessarius*, si obvium habet hunc casum Apostoli, poenitentem remittat ad parochum.

II. *Quod spectat matrimonium* **ratum non consummatum :**

141[1]. Dissolvi potest quoad vinculum 1° *per votum sollemne castitatis* in Ordine strictè dicto emissum ; 2° *per dispensationem S. Pontificis :* quae altera via quasi sola spectat ad praxim.

Nimirum contingit parocho occurrere casum matrimonii rati non consummati (2), ad cujus dissolutionem urget gravis causa, in specie dubia impotentia. Quod si fiat, *parochi* est totum negosium submittere Episcopo; ad quem tamen non debet recurrere nisi postquam moraliter certò constiterit, putà ex inspectione corporali, a probato medico peracta, vel ex adjunctis coarctatae (3) aliisve,

(1) M., 328 ss. et 334 ss.

(2) Non consummatur matrimonium nisi per copulam quae matrimonio ritè contracto succedat, quaeque de se apta sit generationi.

(3) Quando nempe ex circumstantiis apparet compartes post nuptiarum celebrationem ne per momentum quidem fuisse solas inter se.

de facto non consummationis. Episcopus, ad quem causa est deferenda, regulariter est Episcopus loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa (i. e. contra quam actio inducitur), vel, si una pars est acatholica, in qua pars catholica domicilium aut quasi-domicilium habet (can. 1964).

Episcopus autem ex sua parte causam deferet coram Tribunali S. Sedis, quae solet delegare Ordinarium ad processum instituendum circa factum non consummationis, reservata Tribunali Romano sententia definitiva. Postquam constiterit de facto non consummationis, supplicatur SS^mo ut vinculum dissolvere dignetur.

Lata sententia a S. Pontifice, dispensante super matrimonio non consummato, dissolvitur matrimonium, et ad alia vota potest transiri (1), nisi transitus ille prohibeatur *inconsulta S. Sede*, uti nonnunquam contingit, maximè si suspicio datur impotentiae. Si *confessario* occurrit hujusmodi casus matrimonii rati et non consummati, poenitentem remittat ad parochum, ad quem negotium tractandum pertinet.

III. *Quod spectat matrimonium* **ratum et consummatum:**

142(2). A. Tuendum est et **urgendum principium absolutae indissolubilitatis.**

Unde 1° debet, *ante factum*, conjugibus non tantum prohiberi, quominus novas nuptias inire attentent, vivente

---

(1) Can. 1053 sic disponit, post decr. S. C. de Sacr. 5 junii 1912 : « Data a S. Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato,... secum fert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si opus sit », minime vero dispensationem a crimine cum machinatione.

(2) M., 401-405.

comparte, sed nec permitti potest ipsis ut, exclusa licet intentione novi matrimonii, *divortium civile* conentur obtinere coram tribunali forensi, nisi omnino exceptionaliter: signanter in casu quo aliter quam per divortium civile removeri nequit periculum intrusionis prolium adulterinarum (1), et quidem praeviè consulto Episcopo.

143(2). 2° *Post factum*, quando nempe reperitur conjux civili divortio jam separatus illicitè: a/ *si non contraxit nec contrahere intendit novum matrimonium*, urgeat eum *parochus* ut, in quantum fieri potest, cum derelicta comparte se reconciliet ac consortium maritale reinstauret; quod si obtineri nequeat aut inopportunum videatur, curet parochus ut per sententiam Ordinarii, separationem a tecto concedentis, conditioni illius conjugis provideatur, juxta principia mox exponenda, praeviè reparato, si locus sit, scandalo; quibus praestitis, nihil jam obstat quominus ad sacramenta admittatur publicè.

Confessarius, ex sua parte, debet poenitentem, postquam frustrà conatus est eum cum derelicta comparte reconciliare, remittere ad parochum, ut conditioni, ad normam dictorum, provideatur. Quibus praestitis potest poenitentem, sincerè dolentem, absolvere etiam antequam injunctam obligationem impleverit: sufficit sincera promissio de obligationis futura executione.

b/ *Si ad alia vota transire attentaverit*, novo inito matrimonio civili cum tertia persona, optanda solutio foret ut, impetrato divortio civili ab hoc altero pseudo-

(1) Eadem solutio applicatur *advocatis*, qui non possunt sustinere partes conjugum nisi in quantum et hi ipsi legitimè recurrunt ad divortium. Excipe solum casum rarum, quo vi officii coguntur causam divortii sustinere, uti contingere potest cum sic dictis « stagiaires ».

(2) M., 407 s.

vinculo, reconcilietur cum legitima comparte et cum ea vitae conjugalis consortium reassumat (1). Quodsi ad hanc solutionem deveniri nequeat, urgendus est conjux ut saltem a concubinatu recedat, etiamsi obtineri nequeat novum divortium civile (2); nec potest, salvo urgentis necessitatis casu, ad sacramenta publicè admitti nec etiam absolvi, antequam reipsa concubinatum efficaciter abruperit, adeo ut ad ipsam absolutionem non sufficiat, regulariter et extra casum urgentem, promissio de futura a concubinatu recessione. Abrupto autem concubinatu ac reparato scandalo et praeviè obtenta sententia Episcopi super separatione tecti, potest a parocho ad sacramenta recipi ; iisdem autem sub cautelis potest a confessario absolvi, idque etiam ante obtentam sententiam separationis, modò seriò promiserit se aditurum parochum, ad separationis negotium tractandum.

Scandalum, ubi datur, opportune removetur, declaratione coram duobus testibus emissa a parte rea, se sincerè dolere de commissis.

In solutione data sub b/, supponitur legitimam compartem conjugis divortio separati, et cum tertia persona concubinariam vitam ducentis, adhuc vivere ; quodsi compars illa jam sit defuncta, obvium remedium est in matrimonio cum persona illa civiliter ducta, praevie reparato scandalo.

---

(1) Huic reinstaurando consortio (de quo etiam sub a), coram lege civili Belgica, jam nihil obstat, cum, per legem 1906, in hunc sensum moderatus est articulus 295 Codicis civilis, ut divortio civili separatis liceat rursus matrimonium civile inter se inire. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 318 ss.

(2) Non obstat huic concubinatus abruptioni perseverantia vinculi civiliter validi : vult quidem lex civilis ut cohabitent conjuges, sed, in praxi, vix unquam illam cohabitationem urgebit judex civilis.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

144(1). B. Nonnunquam permitti potest **separatio a toro est cohabitatione.**

Imprimis sciant parochus et confessarius conjugi *jus* acquiri ad hanc separationem: a/ per adulterium formale compartis, non compensatum nec condonatum ; b/ per apostasiam vel haeresim compartis; c/ per grave periculum pro anima, quatenus a comparte provocetur ad peccatum, vel pro corpore, ob saevitias, minas graves vel ob morbum contagiosum (2); d/ per educationem acatholicam prolis, et e/ per vitam criminosam et ignominiosam a comparte ductam. Can. 1131, § 1. (3).

Adulterium est causa separationis de se perpetuae; reliquae causae de se legitimant separationem dumtaxat temporaneam.

Quibus attentis: 1° sedulo attendant iidem parochus et confessarius non sufficere quod conjux strictum jus habeat ad separationem, ut illicò haec separatio permittatur vel suadetur. Nonnunquam enim potest conjux per accidens ad non utendum jure suo obligari *ex charitate*, sive erga compartem resipiscentem, sive erga proles, putà ne in paupertatem redigantur vel notam infamiae incurrant; imò, etiam ubi deest charitatis obligatio, plerumque praestat (ac in hunc sensum prudenter, et omnibus ritè perpensis, est adlaborandum a parocho et confessario) ut ad separationem non deveniatur, cum tot ac tanta mala soleant exinde oriri, tum pro conjugibus, tum pro prolibus et integra utriusque conjugis cognatione.

(1) M., 255-259.

(2) Ita « lepra maligna, phtisis confirmata, pulmone jam in corruptionem abeunte, morbus gallicus aliique similes morbi chronici atque, ex medicorum judicio, contagionis periculum habentes, nisi aegrotus conjugis auxilio omnino indigeat ». *Instr. past. Eystetten.*, n. 553.

(3) Non est enumeratio taxativa, sed exemplativa, cum, in canone citato, post enumerationem addatur: « haec aliaque id genus... ».

145(1). 2° Quodsi, omnibus attentis, *ad separationem procedendum censeatur* haec prae oculis habeat *parochus:*

a Excepto casu *adulterii certi et notorii* — quo casu potest parochus propria auctoritate permittere separationem (2) — debet parochus, postquam causam instruxerit, eam deferre *ad Ordinarium*, ejusque stare judicio, vel, si brevis speratur separatio aut urget necessitas, *ad Decanum* qui, juxta jus dioecesanum Brugense, potest, in suo districtu, separationem concedere provisoriam infra spatium *bimestris*.

b Si Episcopus separationem concessit *perpetuam*, sufficit licentia semel obtenta; si verò *ad tempus* est concessa, v. gr. ad annum, vel sex menses, tempestivè est renovanda. Ad hoc habeant parochi elenchum conjugatorum, qui in parochia, cum licentia Episcopi, ad tempus separati vivunt, indicata juxta singulorum nomina separationis causa, eumdemque elenchum tempore debito ad Ordinarium remittant, pro licentia, si opportunum judicetur, confirmanda et proroganda, sedulò notando utrum ipsorum conditio respectiva mutationem subierit vel non (3).

(1) M., 260-262.

(2) Coram *jure communi*, non modò licet parocho, in casu adulterii, propria auctoritate separationem permittere, sed et ipsi conjugi licet illam proprio marte instituere, sicut et in casu urgentis necessitatis. Atvero de *jure dioecesano Brugensi*, prohibetur conjugibus a tecto recedere, etiam in casu adulterii, inconsulto parocho, excepto utique casu urgentis periculi, in quo profectò casu provisorie licet a tecto conjugali recedere.

(3) Attendant etiam hospitiorum rectores utrùm, inter senes hospitio receptos, fortè non dentur quorum uxor in alio quodam instituto seorsim degat : sunt tractandi hujusmodi tanquam conjuges a cohabitatione separati, et de eorum conditione referendum est ad Ordinarium. Quod autem spectat conjugem a comparte separatum per sententiam judicis, illum damnantis ad detentionem in carcere vel simili refugio (v. g. bedelaarswerkhuis), descripta disciplina non est applicanda.

Quod spectat *officium confessarii :* ipsius est poenitentem, separationem instituturum, remittere ad parochum, quo inconsulto, separationem instituendam prohibet jus dioecesanum Brugense; poenitentem autem, ad parochum adeundum et ad sententiam exequendam dispositum, absolvere potest.

146[1]. 3° Si *reperitur separationem jam institutam esse proprio marte ac inconsulto parocho :*

a/ Quod spectat partem *quae ipsa separationem instituerit* : si renuat cohabitationem reinstaurare, debet *parochus*, excepta hypothesi adulterii certi et notorii, conjugum statum exponere coram Episcopo, vel, si brevi desitura speratur separatio, coram Decano, ejusque decisionem exspectare. Moneatur etiam dicta pars nemini licere, secluso urgentis periculi casu, separationem quacumque ex causa instituere, inconsulto parocho.

b/ Quod spectat partem *derelictam* : idem dicendum, nisi quando constat ipsam non dedisse causam recessui compartis, nec per eam stare consortium reintegrari, idque notum esse in parochia.

147[2]. *Nota* 1. *Absentia* a domo conjugali *regulariter* non importat separationem a cohabitatione, et potest ab uno conjuge, de consensu alterius, institui *absque ullo auctoritatis interventu* ; imo potest abesse *vir*, rationabili de causa, ad breve tempus, absque uxoris consensu, putà officii aut commercii agendi gratia.

Potest tamen absentia veram separationem inducere a cohabitatione, v. gr. quando alterutra pars in dissitam regionem abire intendit non reversura, comparte eam

(1) M., 263.
(2) M., 264 s.

sequi detrectante ; quo casu conjux recedens esset habendus tanquam separationem instituens, ac observandae forent normae descriptae circa necessitatem recursus habendi ad parochum et Ordinarium.

2. *Confessarii* est poenitentem, ubi, juxta normas modò propositas, requiritur interventus parochi, ad hunc parochum remittere ; illum autem, id pollicentem, potest absolvere. Opportunè etiam confessarius monebit hujusmodi poenitentem, eum teneri ad fidelitatem conjugalem servandam alteri parti, non secus ac antea, et ad vitam castam degendam.

3. Juxta canonem 1132, « instituta separatione, filii educandi sunt penes conjugem innocentem, et, si alter conjugum sit acatholicus, penes conjugem catholicum, nisi, in utroque casu, Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud decreverit ».

C. Permitti etiam potest **separatio a toro**.

148[1]. Hoc negotium non spectat forum externum, et de se tractandum est a *confessario*, a quo sufficiet haec pauca attendere :

Stricto jure possunt coujuges separationem lecti instituere proprio marte ; et quidem id possunt ubi mutuo consensu in hoc conveniunt ; potest etiam una pars communem torum deserere, invita comparte, statim ac contingit illam partem ad debitum reddendum non teneri, aut a debito reddendo excusari, juxta dicta sub nn. 126 et 127.

Attamen, secluso casu quo usus matrimonii utrique factus est illicitus, puta ratione impotentiae supervenientis vel ratione gravioris nocumenti ex dicto usu resultantis pro prole aut comparte (n. 122), rarò opportunum erit

(1) M., 267.

separationem illam a confessario permitti aut suaderi. Nimirum separatio ex mutuo consensu praesupponit probatam virtutem et remotionem periculi incontinentiae ; a separatione autem, invita comparte, instituenda, si stricto jure peragi potest, retinebit non rarò praeceptum charitatis, ac etiam, hoc seposito, separationem inopportunam saepe reddent varia incommoda ex illa timenda (1). Cf. n. 126.

Caput IV

DE TRACTANDIS CONJUGIBUS VALIDO SED ILLICITO MATRIMONIO JUNCTIS.

149(2). Quaestio haec practice reducitur ad officium parochi et confessarii, in casu matrimonii *illicité* contracti sive ex capite voti simplicis castitatis, sive ex capite mixtae religionis (3).

1° In casu matrimonii celebrati *cum voto castitatis* simplici, non dispensato : a/ si votum est facto publicum, vel natura publicum (i. e. emissum in congregatione religiosa), providere debet *parochus* ut scandalum, si detur, removeatur, utque *in foro externo* obtineatur dispensatio : ab Ordinario, si votum non est reservatum (suprà n. 42) ; a S. Sede, si agitur de voto reservato,

(1) Non est separatio tori in hoc quod conjuges distincto lecto uti soleant, modò communis sit thalamus. Quinimò, juxta GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, Parisiis, 1892, n. 1077, « communio tori videtur formaliter haberi, si, prouti in multis familiis in usu est, uxor et maritus habent quidem distinctum torum et cubiculum, sed cubiculum est contiguum, et cuique in alterius cubiculum et torum liber et facilis patet accessus, licet hic usus minus laudandus sit ».

(2) M., 719.

(3) De *sponsalibus* jam non est curandum a parocho, cum in foro externo non urgeatur obligatio matrimonium ineundi, quae in foro interno ensurgere potest ex sponsalibus. Sola nempe dari potest in foro externo actio ad reparationem damnorum. Can. 1017, § 3.

nisi casus sit urgens, adeo ut ad S. Sedem recurri nequeat: quo casu dispensare potest Ordinarius (1) ; b/ si votum est natura et facto occultum, *a confessario* (vel exceptionaliter a parocho, in foro extrasacramentali) danda est aut obtinenda dispensatio *in foro interno*, in ordine ad licitam debiti petitionem, juxta dicta suprà, n. 123.

150(2). 2° Quando matrimonium validè initum est a parte catholica *cum parte acatholica*, neglectis dispensatione et cautelis :

a Admonendus est conjux catholicus et instruendus tum de peccato commisso, tum etiam de stricta, qua tenetur, obligatione, consuetas clausulas observandi, signanter de universa prole catholice educanda.

151(3). b/ Ad hoc ut pars catholica ad sacramentorum participationem admittatur, requiritur ut ipsa coram foro externo, i. e. coram Episcopo vel coram parocho et duobus testibus, spondeat (orali sive scripta promissione) cautelarum observationem ; quod censetur sufficere, etiam ubi altera pars acatholica renuit clausulas ad ipsam spectantes observandas suscipere.

Quodsi consensus fuerit emissus coram ministro acatholico, requiritur, praeviè ad reconciliationem, *absolutio a censura*, a censura scil. encommunicationis Ordinario reservatae. Quae absolutio ad apicem juris requireretur in foro externo danda ; potest autem, salvo judicio Ordinarii, sufficere absolutio *pro foro interno*, etiam sacramentali, modò causa non fuerit ad forum contentiosum deducta nec urgeat ratio scandali removendi.

(1) Cf. suprà n. 57. Seponitur periculum mortis, in quo, deficiente tempore recurrendi ad Ordinarium, dispensare posset ipse parochus. Cf. n. 41.

(2) M., 514.

(3) *Ibidem*.

Posset igitur confessarius, si facultatem habeat ab illa censura, reconciliare, positis ponendis, partem catholicam, eam in confessione absolvendo ; imò si reperiat poenitentem, momento commissi criminis, censuram ignorasse nequidem absolutio est necessaria.

c/ Posset etiam pars catholica, moribunda destituta, conditionaté absolvi, licet non potuerit resipiscentiae signa dare ; non posset autem, juxta decr. C. S. O., 8 Maii 1907, si moritur quin potuerit ullum signum resipiscentiae dare, sepultura ecclesiastica donari (1).

d/ Si pars acatholica fuerit ad Ecclesiam conversa, possent conjuges, aliundè benè dispositi, admitti ad *benedictionem nuptialem*, praemissa monitione de indole merè rituali dictae caeremoniae.

Caput V

DE CURANDO MATRIMONIO INVALIDO

152(2). *Monitum praevium.* Supponitur matrimonium *certò* invalidum, quia *in dubio* standum est valori actus (3). Hoc tantùm advertendum quod, ubi dubium oritur ex dubia impotentia, et signanter ubi dubium versatur circa impotentiae perpetuitatem, potest, si adjuncta id suadeant, obtineri ut a S. Sede juridicus processus instituatur circa matrimonii non consummationem, et, si de ea constiterit, dispensatio concedatur super matrimonio rato non consummato. Cf. suprà, n. 141.

---

(1) Sepultura ecclesiastica concedi posset, si dicta pars catholica, non obstante sensuum externorum privatione, potueritad contritionem excitari ; omittantur autem ecclesiasticae pompae et solemnitates exequiarum.

(2) M., 719.

(3) Can. 1014.

Articulus 1s. **De electione remedii adhibendi.**

153[1]. Quatuor generatim praesto sunt remedia in casu matrimonii nulliter contracti : convalidatio matrimonii, nullitatis declaratio cum pseudo-conjugum dissociatione, cohabitatio fraterna et bona fides in qua relinquantur.

154[2]. En autem *normas* pro electione remedii sequendas :

A. Si matrimonii nullitas est *publica* vel *publicanda praevidetur* : eligendum est inter convalidationem et nullitatis declarationem ; et quidem *regulariter* adhibendum est *remedium convalidationis*, nec ad nullitatis declarationem est recurrendum nisi quando nullitas est insanabilis, ob impossibilitatem removendi impedimenti, vel, si sanari potest, quando gravissima momenta dissociationem omninò suadent ; quod alterum rarò obtinet.

Porro nullitatis divulgatio censetur praevidenda quando nullitas jam in nonnullorum suspicionem venit, vel etiam, ordinarié loquendo, quando nititur in praesentia impedimenti quod sit, in ordine ad matrimonii convalidationem, *fori externi*. Censentur autem esse fori externi, *in ordine ad matrimonii convalidationem*, impedimenta natura vel facto publica (n. 5), exceptis nonnullis impedimentis natura publicis sed facto occultis, signanter cognationis spiritualis et consanguinitatis ac affinitatis, in 3° gradu, necnon in 2° gradu, « si saltem per decennium duraverit occultum et oratores simul publicè contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi habiti fuerint » : haec scil. impedimenta censentur, *in*

(1) M., 720.
(2) M., 721.

ordine ad matrimonii convalidationem, impedimenta *fori externi*. Reliqua sunt fori interni.

B. Si matrimonii nullitas est *occulta* et *occultanda* praevidetur :

155[1]. 1° Quando nullitas est *insanabilis*, obstante scil. impedimento irremovibili :

a/ Si alterutra vel utraque pars reperitur *nullitatis conscia* : matrimonii nullitas pronuntietur ac separentur pseudo-conjuges ; vel permittatur, quod rarò opportunum erit, habitatio fraterna.

b/ Si *utraque* pars est *nullitatis inconscia*, relinquantur in bona fide, excepto casu quo graves admodum causae dissolutionem consortii conjugalis urgeant.

156[2]. 2° Quando nullitas est *sanabilis* :

Ordinarium remedium erit *convalidatio*, nisi iterum peculiaria adjuncta faveant dissolutioni.

Quae solutio etiam valet pro casu quo utraque pars est impedimenti inconscia et malè disposita praevidetur circa consensus renovationem (3).

157. *Nota*. 1. In casu quo matrimonii nullitas hic et nunc jam est publica, sive recurratur ad convalidationem sive ad nullitatis declarationem, statim a tecto separandi sunt pseudo-conjuges. Quodsi separatio hîc et nunc institui nequit, putà quia vir graviter infirmatur nec ad nosocomium deferri potest, ita ut mulieris adjutorio privari nequeat, deberent pseudo-conjuges coram testibus declarare sese paratos esse ad convalidationem procuran-

(1) M., 722.

(2) M., 723.

(3) Hucusque in dicto casu potius recurrendum docebatur ad remedium bonae fidei servandae ; sed nunc, attento can. 1138, § 3, nihil obstare videtur quominus impetretur sanatio in radice.

dam vel separationem instituendam quantocius id poterunt; interea sedulò vitare debent omnem occasionem peccati, adhibitis cautelis a parocho pro opportunitate suggerendis.

158[1]. 2. Si nullitas — quae supponitur sanabilis — est occulta, sed alterutri parti, puta poenitenti, nota, huic parti interdicendus est omnis *usus matrimonii*. Quae norma urgetur etiam in casu quo altera pars nullitatem ignorat, nec de ea moneri potest; sed, si poenitens aegre potest sese subducere usui matrimonii donec a S. Sede impetretur dispensatio, aequivalenter obtinebit casus urgens, et quidem talis obtinere potest urgentia quae non permittat recursum ad Ordinarum : quo casu ipse confessarius poterit, vi can. 1045, § 3, dispensare, uti infrà dicetur, sub n. 171.

159[2]. 3. Ubi, in casu nullitatis occultae, poenitens dicit se *dubitare* de valore sui matrimonii, interrogetur de motivo in quo nitatur dubium: si verum motivum nullitatis allegatur, non potest nullitas dissimulari; si falsa ratio inducitur, licet a parte rei invalidum a confessario cognoscatur matrimonium, potest confessarius, inopportunam judicans saltem hic et nunc monitionem, prudenter dissumulare, respondendo matrimonium ob illud motivum non esse irritum, et, si poenitens insistat, ex hac causa non esse negandum debitum.

---

(1) M., 723.

(2) *Ibidem*.

Articulus 2s. De applicatione remedii.

Paragraphus 1a. De applicandis remediis extraordinariis.

I. Declaratio nullitatis.

160(1). *Declaratio nullitatis* constituit causam matrimonialem strictè dictam, cujus tractatio pertinet ad Episcopum vel ad S. Sedem, a quibus obtinenda est authentica sententia nullitatis, quam de norma praecedere debet processus juridicus (2).

Causa proinde deferri debet ad Episcopum, nomine pseudo-conjugum oblata supplica, in qua totum negotium exponatur ; qui recursus competit parocho, ad quem remittere poenitentem debet confessarius. Cf. suprà, n. 141.

Obtenta nullitatis sententia definitiva, utrique parti integra acquiritur libertas, elapsis decem diebus inde a sententiae denuntiatione, transeundi ad novas nuptias, excepto casu quo nullitas nititur in *impotentia* alterutrius partis : quo casu, si impotentia est absoluta, simpliciter prohibentur nuptiae parti impotenti, si verò impotentia est relativa, solet parti impotenti interdici transitus ad aliud conjugium, inconsulta S. Sede, vel cum restrictione ut non ducatur nisi vidua.

(1) M., 724, coll. n. 702 ss.

(2) Non requiritur authentica declaratio nullitatis nisi ubi agitur de matrimonio speciem gerente matrimonii, quale non est matrimonium civile, inter personas legi clandestinitatis certò obnoxias contractum: hujusmodi matrimonii nullitatem declarare potest Ordinarius, vel etiam, consulto Ordinario, parochus, absque formalitate juridica et sine interventu defensoris vinculi.

Etiam non requiritur juridicus processus, sed sufficit authentica declaratio Ordinarii, cum interventione tamen defensoris vinculi, quando certò constiterit de existentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, et aeque certò constiterit de dispensationis absentia.

II. Habitatio fraterna.

161[1]. Si judicatur recurrendum ad *habitationem fraternam:* cautelae opportunae sunt praescribendae ad efficaciter praecavendum periculum incontinentiae, exigendo prae caeteris separationem tori et thalami.

III. Bona fides.

162[2]. Si *in bona fide* relinquendi videantur pseudo-conjuges, cautè caveat confessarius ne ulla suspicio moveatur de matrimonii nullitate, et vigilanter attendat in posterum utrum bona fides non turbetur.

Paragraphus 2ª. **De applicando remedio ordinario convalidationis matrimonii.**

Praenotanda: De variis convalidationis modis.

163[3]. Quando, attentis normis sub articulo primo propositis, judicatur recurrendum esse ad matrimonii convalidationem, oportet determinare viam ad convalidationem sequendam: pro variis enim adjunctis convalidatur matrimonium vel absque dispensatione, vel per viam dispensationis, idque, in altero casu, per viam simplicis dispensationis vel per viam sanationis in radice.

Haec autem notanda intercedit *distinctio* inter dispensationem simplicem et sanationem in radice, quod per simplicem dispensationem merè removetur impedimentum, quin ipso facto convalidetur matrimonium, quodque ad hujus convalidationem ulterius est procedendum per novi consensus emissionem, dum per sanationem in

(1) M. 724.
(2) *Ibid.*
(3) M., 734, 735 et 736.

radice non tantùm aufertur impedimentum, sed ipso facto convalidatur matrimonium, quatenus consensus virtualiter perseverans illicò convalescat et pro consensu matrimoniali valido agnoscatur ab Ecclesia (idque, perfictionem juris, inde ab inito contractu), quin novus consensus ad hoc exigatur: simul nempe ac removetur impedimentum, dispensatur a lege de renovando consensu.

Pariter requiritur consensus renovatio ut matrimonium convalidetur absque dispensatione, uti latius dicetur sub n. 166.

164(1). Jamvero 1° locus est convalidationi matrimonii *absque dispensatione*, a/ quando nullitas oritur ex defectu consensus, putà quia initum est matrimonium cum consensu ficto, aut ab amente aut ex metu aut errore; vel b/ quando oritur ex defectu formae consensus seu ex vitio clandestinitatts, aut ex praesentia impedimenti personam inhabilitantis quod spontè recessit (2), et simul utraque pars est benè dispsita circa consensus renovationem (3).

Aliàs recurrendum est ad convalidationem *per viam dispensationis*, quotiescumque scil. vel a/ agitur de impedimento inhabilitante personam et non recedente sponte; vel b/ quando, in casu impedimenti sponte recedentis, aut in casu matrimonii invalidi ob defectum formae consensus, non est utraque pars ad consensus renovationem disposita.

---

(1) M., 725, 726 et 832.

(2) Ita si impedimentum est aetatis, ligaminis vel disparitatis cultus. Cf. suprà, n. 33.

(3) Exceptionaliter tamen contingit matrimonium, ob defectum formae invalidum, in radice sanari, etiam ubi utraque pars censetur ad renovandum consensum parata: quando nimirum plura in aliquo loco reperiuntur matrimonia sic invalidè celebrata. Cf. can. 1139, § 1.

2° Pro convalidatione *cum dispensatione*, recurrendum est ad *simplicem dispensationem:* quando nullitas procedit ab impedimento inhabilitante personam quod spontè non recessit, quodque simul utraque pars parata est renovare consensum, in casu nullitatis publicae, aut quod, in casu nullitatis occultae, una saltem pars parata existit consensum renovare, dum altera pars manet nullitatis inconscia (can. 1135, § 1 et § 2). Aliàs recurrendum est ad *sanationem in radice* (1).

165(2). 3° Quod autem spectat *forum* pro quo dispensandum est vel dispensatio petenda, regulariter recurrendum est ad dispensationem pro foro externo vel pro foro interno, prout nullitas oritur ex praesentia impedimenti quod, in ordine ad matrimonium convalidandum, sit fori externi, vel quod sit fori interni (n. 154): hoc rursus attento quod, ad normam can. 10475 (suprà, n. 41), dispensatio concessa pro foro interno extrasacramentali suffragari possit, positis ponendis, in foro externo.

Punctum I. De matrimonii convalidatione absque dispensatione.

166(3). Casu quo, juxta modò dicta, matrimonium convalidari potest absque dispensatione, curandum est

(1) Obtinenda est proinde sanatio in radice in hoc utroque casu: a/ quando nullitas oritur ex impedimento personam inhabilitante et sponte recedente, quodque una vel utraque pars non est parata renovare consensum — quo casu sanatio in radice est minus stricte dicta; b/ quando nullitas oritur ex impedimento sponte non recedente, quodque, in casu nullitatis publicae, alterutra pars non est parata renovare consensum, aut, in casu nullitatis occultae, utraque pars est malè disposita vel una pars tantum est bene disposita circa consensus renovationem, dum altera pars, malè disposita, est nullitatis conscia. Item recurri potest ad sanationem in radice, quando exceptionaliter contingit plura matrimonia nulla existere in aliquo loco.

(2) M., 833.

(3) M., 727 s.

ut *consensus renovetur*, et quidem sedulò servatis normis sequentibus :

1° Consensus ita est renovandus ut *novus* sit consensus et a priori consensu independens, *praevia* scil. *notitia nullitatis consensus anterioris*.

167[1]. 2° Iterandus est consensus *in forma can. 1094*, quando nullitas est publica aut divulganda praevidetur, vel quando, in casu nullitatis occultae, forma consensus non fuit servata (can. 1137); secus renovatio fiat *privatim*, idque vel inter solos pseudo-conjuges, vel convenientius, si aliunde nihil obstat, coram sacerdote, puta confessario (2).

Etiam, ubi renovandus est consensus in forma can. 1094, potest iteratio fieri *secretò*, coram parocho et testibus familiaribus, in modum matrimonii conscientiae, si nullitas nondum publicè noscitur; renovetur autem *publicè*, si nullitas jam innotuit, hoc tamen attento quod etiam tunc potest nonnunquam a publica renovatione consensus abstineri, de licentia Episcopi, ea tamen lege ut, per facti divulgationem exinceps opportunè faciendam, efficaciter praecaveatur scandalum.

168[3]. 3° Norma est ut consensus iteretur ab *utroque* pseudo-conjuge. Ab hac autem norma recedi potest a/ quando nullitas oritur ex defectu consensus unius tantùm partis, quodque alterius partis consensus fuit validus et virtualiter perseverat : quo casu sufficit ut ab illa *una* parte consensus renovetur; praestat tamen ut

(1) M., 727 et 729.

(2) Sufficit etiam consensus merè *internus*, si defectus consensus fuit merè internus. Can. 1136, § 2.

(3) M., 727.

etiam tunc utriusque consensus iterùm praestetur, si id absque graviori incommodo fieri potest; item b/ sufficit quod una pars consensum renovet, extra casum nullitatis ob defectum consensus, si nullitas est occulta et ab altera parte ignoratur, supposito utique hujus alterius partis consensus perseverantia (1).

169[2]. *Nota.* Applicatio disciplinae expositae circa convalidationem matrimonii absque dispensatione sponte sua offertur erga matrimonia *ante Pentecosten 1918 invalidè inita*, ob impedimentum per novum Codicem abrogatum. Cum novi Codicis dispositiones non habeant vim retroactivam, matrimonia sic nulliter contracta indigent convalidatione; sed, inde a dicta data, convalidari possunt absque dispensatione, renovato consensu juxta normas modò propositas. Ita pro matrimoniis ante Pentecosten 1918 contractis inter consanguineos in quarto gradu, inter patrinum et susceptae prolis matrem, inter affines ex copula illicita, etc.

Punctum II. De convalidatione per viam simplicis dispensationis.

170[3]. Quando ad matrimonii convalidationem proceditur per viam dispensationis simplicis, *duo* distinguuntur *actus:* 1° actus praevius, qui est in remotione impedimenti per dispensationem, et 2° ipsa convalidatio per renovationem consensus.

---

(1) Can. 1135, § 3. Haec autem altera exceptio non applicatur in hoc casu convalidationis absque dispensatione; impedimenta nempe sponte sua recedentia, de quibus hic, sunt natura sua publica.

(2) M., 730.

(3) M., 734, 805.

§ 1. Dispensatio.

I. De dispensatione ab ipso parocho vel confessario concedenda.

A. Potestas dispensandi parochi.

Parochus eamdam habet potestatem dispensandi, super iisdem impedimentis (dirimentibus) et in iisdem adjunctis, in ordine ad matrimonium convalidandum, quam vidimus, sub nn. 39-41, illum habere pro dispensando in ordine ad matrimonium contrahendum.

Potest igitur, infra limites ibidem descriptos, supposito temporis defectu ad adeundum Ordinarium, dispensare: 1° *in periculo mortis*, idque pro foro *externo* vel pro foro *interno extrasacramentali*, prout tractandum habet casum nullitatis resultantis ex impedimento quod sit, in ordine ad matrimonium convalidandum, fori externi, vel (exceptionaliter) casum nullitatis resultantis ex impedimento fori interni (1); 2° *in casu urgenti*, ibidem delineato, super impedimentis, in ordine ad matrimonii convalidationem, fori interni, dispensando pro foro *interno non sacramentali*.

B. Potestas dispensandi confessarii.

171 (2). In eodem duplici casu, dispensare potest confessarius, sicuti in ordine ad matrimonium contrahendum, ita et in ordine ad matrimonium convalidandum, super impedimentis quae sint, in ordine ad matrimonii conva-

---

(1) Potest etiam contingere quod parochus opportune dispenset pro foro interno non sacramentali, ubi matrimonii nullitas oritur quidem ex impedimento fori externi, sed est hic et nunc facto occulta: quando nempe habetur grave incommodum in tractando negotio pro foro externo; adhibeatur autem cautela canonis 1047.

(2) M., 794, 805.

lidationem, *fori interni*, idque *pro solo foro interno sacramentali*. Cf. suprà, n. 42, sub A (1).

172[2]. Nota. Quod spectat potestatem dispensandi apud *simplicem sacerdotem*, in casu can. 1098, videsis eam descriptam suprà, sub n. 43 : rursus potestas quae ipsi competit in ordine ad matrimonium contrahendum, ipsi etiam suffragatur in ordine ad matrimonium convalidandum.

C. Processus sequendus.

173[3]. *Processus* sequendus *a parocho*, mutatis pro subjecta materia mutandis, describitur suprà, nn. 44 et 46, necnon, pro varia hypothesi, nn. 48, 50 et 51 ; processum autem, *a confessario* adhibendum, discriptum videsis sub nn. 46 s. et 49.

Quod spectat in specie *formulam* usurpandam *a parocho*, sufficit ut assumat tenorem, sub n. 45 propositum, eumque subjectae materiae adaptet, addendo sub fine :

« ..... vobiscum.... dispensamus super impedimento.... cum quo impedimento matrimonium nuliiter contraxistis, ut, eo non obstante, denuò matrimonium inter vos, renovato consensu, in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, consummare et in eo permanere licitè valeatis. Etc.... ».

Formula, suprà, n. 47, descripta in gratiam *confessarii*, in hunc sensum potest mutari ; nempe post verba : « dispenso tecum super impedimento... », facta accurata determinatione impedimenti, addatur :

---

(1) Confessarii qui habent Pagellam S. Poenitentiariae possunt, in ordine ad matrimonium convalidandum, dispensare, extra periculum mortis et casum urgentem, super crimine occulto, nullo machinante.

(2) M., 795, 805.

(3) M., 901, 904.

« cum quo impedimento matrimonium nulliter celebrasti, ut, eo non obstante, denuò matrimonium cum tuo (a) putato (a) conjuge, renovato consensu, contrahere, consummare ac in illo licité permanere valeas. Eadem auctoritate.... » etc.

Invocetur autem can. 1044 vel 1045, pro diversa hypothesi quod dispenset in periculo mortis vel in casu urgente.

II. De dispensatione a parocho vel confessario procuranda.

A. Quò recurrendum.

174[1]. Ubi, attentis dictis sub I, non suppetit parocho vel confessario potestas dispensandi, recurrendum est, pro dispensatione, ad Ordinarium vel ad S. Sedem, Nimirum

1° *In periculo mortis*, suppeditante temporis copia Ordinarium adeundi, recurrendum est ad *Ordinarium*, pro omnibus impedimentis, sub n. 41 descriptis.

2° *In casu urgente*, supposita scil. impossibilitate recurrendi ad S. Sedem, ubi tempus est adeundi Ordinarium, vel etiam ubi tempus illud deest sed agitur de casu non occulto, recurrendum ad *Ordinarium*, pro omnibus iisdem impedimentis.

3° *Extra periculum mortis et casum urgentem* : recurrendum est *ad S. Sedem*, excepto casu matrimonii invalidi ob impedimentum occultum criminis, absque machinatione, super quo dispensat Ordinarius ex indulto S. Poenitentiariae.

175[2]. B. Quod spectat **ipsum recursum instituendum**: recurrendum est regulariter *pro foro externo*, ubi agitur

(1) M., 768, 835.
(2) M., 832.

de curanda nullitate fori externi, i. e. quae sit publica vel divulganda (n. 154)) ; *pro foro* autem *interno*, ubi agitur de nullitate fori interni, seu occulta.

Exceptionaliter contingere potest, juxta dicta sub n. 170, recurri pro foro interno non sacramentali, licet agatur de nullitate fori externi, quando hic et nunc ignoratur et obstat grave incommodum recursui in foro externo.

Recursus pro foro externo et pro foro interno non sacramentali instituitur *a parocho*, passim per medium Ordinarium, pro foro interno sacramentali *a confessario*.

176[1]. Circa *processum* sequendum in *petenda* dispensatione pro respectivo foro externo, sacramentali et extrasacramentali, cf. dicta sub nn. 61-72, attentis moderationibus supplicae tenori, pro subjecta materia, afferendis, juxta formulam ad calcem adnectendam (2), mentione facta matrimonii nulliter contracti, et variarum circumstantiarum quas memorant *Formulae Apostolicae Datariae*, apud *Adnotationes :* « Explicandum est utrum scienter, an ignoranter contractum (matrimonium) ; utrum ignorantia facti, an juris ; utrum clandestinè, an servata forma Concilii Tridentini (i. e. forma can. 1094); utrum factis an omissis de Ordinarii licentia proclamationibus ; an fraudulenter omissis proclamationibus ; utrum carnalis copula adfuerit ; utrum, carnali copula consummato jam matrimonio, et detecto deindè impedimento, ab ea abstinuerint an verò in ea perstiterint ; utrum haec omnia facta fuerint data opera, sub spe facilius dispensationem obtinendi ».

---

(1) M., 848.

(2) Cf. *Form. 4*, 12 et 13.

177(1). C. Pro **executione dispensationis** episcopalis vel apostolicae, nihil speciale notandum, et sufficit rationem habere processus suprà descripti pro executione dispensationis in ordine ad matrimonium contrahendum, mutatis pro subjecta materia mutandis.

Ita, quod spectat executionem dispensationis 1° *pro foro externo* : a/ dispensatio *episcopalis*, cum concedatur *in forma gratiosa*, non indiget executione ; unde non manet nisi ut parochus, accepto documento episcopali, clausulas insertas imponat, et dispensationem cum oratoribus communicet (n. 74), atque consensum in forma can. 1094 renovandum curet.

En autem *specimen* hujusmodi dispensationis *episcopalis, in foro externo* :

Vicarius Generalis...

«Vi potestatis Nobis collatae can.1045 (vel can.1043), dispensandi.... (uti sub n. 73), vobiscum dispensamus super impedimento...., (inde a quibus verbis sic pergitur) cum quo impedimento matrimonium nulliter contraxistis, ut illo non obstante denuò matrimonium, renovato concensu, inter vos, in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, licitè et validè contrahere, consummare et in eo postmodum remanere valeatis ; dummodò tamen.... etc. ».

b/ Dispensatio *apostolica*, quae solet concedi in forma commissaria, exequenda committitur Ordinario (2), adeoque ad minora reducitur officium parochi, juxta dicta sub nn. 79 ss.

---

(1) M., 902 s.

(2) Pro dispensationis *fulminatione*, sufficit Ordinario alteram formulam, sub n. 86 indicatam, adaptare juxta tenorem modò suprà propositum, in hunc scil. sensum :

« Vicarius Generalis....

Dilectis...

Ob causas S. Sedi expositas et in examine veritate niti repertas, tanquam delegatus apostolicus, vi specialis facultatis a SS. DD. concessae, vos a sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, si quibus

178[1]. 2° Executio dispensationis *pro foro interno*: a/ *episcopalis*, quae fit ab ipso Ordinario, describitur suprà, nn. 75-77, mutatis mutandis; b/ executio dispensationis *apostolicae* describitur sub nn. 89 ss.

En autem specimen 1. *rescripti Romani pro foro interno, in forma commissoria*, juxta exemplar relatum apud GIOVINE, *De dispensationibus matrim.*, II, p. 270 s. :

« Discreto viro confessori.... salutem in Domino. Pro parte latricis praesentium Nobis oblata petitio continebat quod ipsa, aliàs conjugata existens, a quodam viro carnaliter cognosci passa fuit, et ut matrimonium cum illo contrahere posset, suum maritum secreto veneno interfecit; et deindè cum dicto viro, praemissi homicidii inscio, matrimonium publicè in facie Ecclesiae contraxit, et successivè consummavit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta latrix ob impedimentum ex praemissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolica dispensatione; ad evitanda scandala, quae, si divortium fieret inter se et dictum virum, verisimiliter exorirentur, ac pro suae conscientiae quiete cupit a praemissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter.... Nos igitur.... discretioni tuae committimus, quatenus, si ita est, dictam latricem, audita prius ejus sacramentali confessione, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerit, adulterio, homicidio et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta ei, pro modo culpae, gravi et longa, quae saltem per annum duret, poenitentia salutari, et orationibus, ac pro modo facultatum suarum eleemosynis, etiam ad celebrandum aliquem numerum missarum pro anima occisi, nec non frequentia sacramentalis confessionis pecca-

---

quomodolibet innodati fueritis, ad effectum infrascriptae gratiae dumtaxat consequendae, atque ab incestus, quatenus intercesserit, et aliorum excessuum reatibus, necnon a censuris et poenis ecclesiasticis inde forsan incursis, in utroque foro absolvimus. Deinde eadem speciali auctoritate apostolica vobiscum dispensamus super impedimento affinitatis in secundo gradu lineae collateralis, quocum matrimonium nulliter contraxistis, ut illo non obstante denuò matrimonium, renovato consensu, inter vos, in facie Ecclesiae, ad normam can 1094, licitè et validè contrahere, consummare et in eo postmodùm remanere valeatis, dummodò.... ».

(1) M., 906.

torum suorum, singulis scil. mensibus, ut minimum semel, et saepius, prout animae suae saluti expedire judicaveris. Quodque haeredibus occisi, necnon illis, quibus ille, dum viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat et subveniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen, ne se prodat, et alia quae de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò impedimentum praefatum occultum sit, et plane ignoretur quod mors dicti viri inde secuta sit, et separatio inter oratricem et dictum virum fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque impedimentum canonicum non obstet, cum eadem latrice, ut, dicto viro de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita cautè ut latricis delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eodem, et uterque inter se de novo, secrete ad evitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere et in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit (non tamen in adulterio conceptam) et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae, et in actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, nec alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur, nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis; sed praesentibus laceratis, quas sub poena excommunicationis lacerare tenearis, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur.

Datum Romae etc.... ».

179[1]. 2. Specimen *dispensationis episcopalis pro foro interno*, in forma gratiosa:

« Vicarius Generalis....

Vi facultatis a Sede Apostolica, die.... ad quinquennium nobis concessae et sequentis tenoris: dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodò sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione et injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus, per tempus dispensantis arbitrio statuendum, Nos, tanquam Sedis Apostolicae delegatus, Trlium et Titiam, dioecesis Brugensis subditos, acceptata poenitentia nomine nostro injuncta et infrà descripta, a quibusvis

(1) M., 905.

sententiis, censuris ac poenis ecclesiasticis ad affectum praesentis gratiae consequendae tantùm, necnon a quibusvis reatibus ac censuris et poenis ob causas in precibus allatas aut aliàs forsan contractis, absolvimus et absolutos fore censemus, atque, modò vera sint exposita, cum eisdem dispensamus in foro conscientiae tantum super occulto impedimento criminis neutro machinante, ut, renovato secretò consensu, in matrimonio, in facie Ecclesiae jam contracto, ramenere validè et licitè possint, dummodò nullum aliud obstet impedimentum canonicum. Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde, non tamen in adulterio conceptam, legitimam decernimus ac respectivè nunciamus.

Pro poenitentia injungimus eisdem oratoribus, ut per quatuor hebdomadas quotidie recitent quinquies pater et ave ac semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; atque statuimus ut per quatuor menses singulo mense sacramentaliter confiteantur.

Praesentibus post executionem lacerandis.

Datum Brugis... ».

§ 2. Renovatio consensus.

180[1]. Remoto impedimento per dispensationem simplicem, ad convalidationem matrimonii ulterius requiritur ut *renovetur consensus.*

Quae renovatio est facienda juxta normam propositam sub nn. 166-168 ; ubi sedulò nota quod, attenta dispositione can. 1135, § 3, jam sufficiat unius partis, partis scil. nullitatis consciae, consensus renovatio, quotiescumque nullitas est occulta et ab altera parte ignoratur (2).

(1) M., 907 ss.

(2) Hujusque requirebatur, etiam in hoc casu, renovatio consensus ab utraque parte : quod non rarò ausam praebebat gravissimis difficultatibus, in quibus angustiis recurrebatur ad mitigatam norman quam proponebat ipsa S. Poenitentiaria, super impedimento infamante dispensans : « quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas. « *Varii* autem *modi* proponebantur pro opportunitate adhibendi : vel quatenus suscitaretur dubium aut suspicio de valore

Punctum III. DE CONVALIDATIONE MATRIMONII PER SANATIONEM IN RADICE.

181 [1]. A. Per sanationem in radice, secus ac per dispensationem simplicem, convalidatur ipso facto matrimonium, quatenus non modò aufertur impedimentum, sed et consensus virtualiter perseverans ab Ecclesia agnoscitur pro valido consensu matrimoniali, quin opus sit iterato consensu. Cf. n. 163.

Equidem nonnunquam praescribitur, in sanationis rescripto, ut a parte bene disposita consensus renovetur; atvero per hunc iteratum consensum non convalidatur matrimonium, sicuti in casu dispensationis simplicis, sed merè adimpletur clausula pro dispensationis executione injuncta ; ad hoc autem id exigitur ut securius provideatur prioris consensus perseverantiae, quae sanationi in radice praesupponitur.

182 [2]. B. Quod spectat *recursum* instituendum : 1° *Sanatio in radice* est *impetranda a S. Sede*, cum ad hanc nullam facultatem habeant neque parochi neque, in nostris saltem regionibus, Ordinarii. Can. 1141.

2° Impetranda est regulariter *pro foro externo*, in casu nullitatis publicae vel divulgandae ; *pro foro interno*, quando convalidandum est matrimonium cujus nullitas est occulta et occultanda. Nonnunquam vero impetrari potest in foro interno non sacramentali, licet agatur de

---

matrimonii ; vel quatenus compars cautè et prudenter induceretur ad novum consensum conditionatum, quin.... dubium (directe) ingereretur de nullitate prioris consensus ; vel quatenus pars conscia sola consensum renovaret internè et externè, puta copulam exercendo animo conjugali.

(1) M., 734 ss.

(2) M., 835, 833, 840 s.

nullitate fori externi, ad modum dictorum sub n. 175 et 170.

3° Recursus pro foro externo vel pro foro interno non sacramentali instituitur *a parocho*, passim per medium Ordinarium ; pro foro interno sacramentali recurrit *confessarius*.

183[1]. C. Quod spectat *executionem* rescripti apostolici: 1° *Pro foro externo :* conceditur rescriptum Romanum vel in forma gratiosa vel in forma commissoria.

Si *in forma gratiosa* conceditur, acceptum rescriptum ab Ordinario transmittitur ad parochum, qui gratiam impetratam communicet cum parte conscia et clausulas, si quae sint, imponat.

Si conceditur *in forma commissoria*, quod passim fit quando speciales clausulae sunt injungendae, sanatio facienda committitur Ordinario, et ab eo executioni est mandanda juxta normas suprà, sub. nn. 79. ss., expositas, collatis dictis sub n. 177, ubi descripsimus partes a parocho explendas.

184[2]. En specimina a/ rescripti *in forma gratiosa :*

« Beatissime Pater,

Gustavus-Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit sequentia : N. N. ex..... et N. N. ex....., dioecesis Brugensis subditi, contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum clandestinitatis. Quum autem oratores bona fide egerint, et in omnimoda versentur bona fide circa valorem matrimonii, nec de ipsius nullitate, absque gravissimis incommodis, certiorari possint, supplex rogat Episcopus orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare ac proles exinde natas vel nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

---

(1) M., 912.
(2) M., 912.

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa apostolica auctoritate, praefatum matrimonium, sic, uti praefertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Praesentes autem litterae in Cancellaria episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit.

Datum Romae ex S. Poenitentiaria, die 15 Novembris 1906 ».

185[1]. b/ Specimen rescripti sanationis *in forma commissoria* (2):

« Beatissime Pater,

N. N. catholica dioecesis Brugen., ad pedes Sanctitatis Vestrae humillimè provoluta, propriae conscientiae consulere cupiens, petit sanationem in radice sui matrimonii coram ministro haeretico contracti cum N. N. acatholico et dubiè baptizato, qui consensum matrimonialem coram parocho catholico renovare recusat.

Feria V, die.... 191....

SSmus D. N. D. Pius Div. Prov. Papa X, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus et indubiis resipiscentiae signis oratricis catholicae N. N., benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii Brugen., qui, quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, sanare valeat in radice matrimonium initum ab ipsa catholica cum acatholico et dubiè baptizato N. N.

Ipse verò R. P. D. Ordinarius, in hoc sibi commisso munere explendo, declaret se agere nomine Sanctitatis Suae, et tanquam ab Apostolica Sede specialiter delegatum. Seriò autem moneat oratricem de gravissimo patrato scelere ; salutares ei poenitentias imponat ; a censuris eam absolvat, simulque declaret ob praesentem dispensationis gratiam, a se acceptatam, matrimonium fieri validum, legitimum et indissolubile jure divino, et prolem susceptam vel fortè suscipiendam legitimam habendam esse. Oratrici etiam gravissimè imponat et declaret obligationem, qua semper tenetur, procurandi pro viribus seduloque conversionem conjugis ad catholicam fidem, et prolis utriusque sexus tam natae quam nosciturae in catholica religione educationem.

---

(1) M., 912.

(2) Est potius, presse loquendo, rescriptum cum facultate sanandi in casu particulari.

Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, idem R. P. D. Ordinarius nomen cum consueta personali indicatione tam mulieris quam viri in regestis describi jubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis et declarationum oratrici ut supra factarum, servetur in Curia Brugen., et exemplar authenticum eidem oratrici sedulò custodiendum tradatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque » (1).

186(2). 2° *Pro foro interno :*

a/ Si recursus institutus est, in foro *non sacramentali*, per medium Ordinarium, ad hunc remittitur rescriptum, sive in forma gratiosa sive in forma commissoria, sub pseudo-nominibus, monitione facta ut rescriptum custodiatur secretò, cum inscriptis oratorum nominibus.

187(3). En autem *specimen* hujusmodi rescripti, in forma gratiosa:

---

(1) En specimen *fulminationis* dictae sanationis in radice :

« Vicarius Generalis-Officialis Illustrissimi ac Revermi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert Episcopi Brugensis.

Nos, auctoritate apostolica et de speciali S. Sedis delegatione, per rescriptum diei.., Nobis concessa, N. N. catholicam, dioecesis nostrae subditam, a censuris et reatibus quomodolibet incursis in utroque foro, in quantum indiget, absolvimus, ac matrimonium ab eadem initum cum acatholico dubiè baptizato N. N., quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, eadem auctoritate apostolica et de eadem S. Sedis speciali delegatione, in utroque foro convalidamus et in radice sanamus,

Porro seriò in Domino monemus praefatam oratricem de gravissimo patrato scelere, de quo eam sincerè dolere confidimus, ac in poenitentiam salutarem injungimus ut quotidie, per quindecim dies, recifet quinquies Pater et Ave. Insuper declaramus matrimonium, ob praesentem dispensationis gratiam, ab oratrice acceptatam, fieri validum, legitimum et indissolubile jure divino, et prolem susceptam vel fortè suscipiendam legitimam habendam esse. Sciat etiam oratrix se gravissima teneri obligatione, quam hisce instanter urgendam volumus, procurandi pro viribus seduloque conversionem conjugis ad catholicam fidem, et prolis utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholica religione educationem ».

(2) M., 913.

(3) M., 913.

« Beatissime Pater,

Titius et Titia, dioecesis Brugensis, praemissis de more publicationibus, nulloque detecto impedimento, cum vero consensu qui adhuc perseverat, matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt et successive consummaverunt. Jamvero matrimonium istud nullum est ob impedimentum publicum... Impedimentum casu omninò fortuito innotuit parocho, qui rem, tacitis nominibus, Episcopo Brugensi exposuit, declaravitque putatos conjuges in omnimoda bona fide versari, eosque non sine gravissimis incommodis de matrimonii sui nullitate, quam nemo caeteroquin ex loci incolis suspicatur, posse moneri. Quum... supplex rogat Sanctitatem Vestram ut matrimonium putatorum conjugum, de quibus suprà, in radice sanare ac proles exinde natas ac nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa auctoritate apostolica, praefatum matrimonium, sicuti praefertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque sive susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Praesentes autem litterae in Cancellaria episcopali, expressis nominibus et cognominibus praefatorum conjugum in calce earumdem, diligenter custodiantur ut, pro quocumque eventu, de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit ».

188[1]. b/ Si recursus factus est a confessario, pro foro *sacramentali* : rescriptum in forma commissoria est a confesssario exequendum, juxta normas sub n. 89 ss. et 178 propositas, mutatis pro subjecta materia mutandis, mutata in specie formula in hunc sensum :

« Auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, matrimonium a te nulliter contractum ob impedimentum... cum tuo (a) putato (a) conjuge, in radice sano et convalido ».

189[2]. En tenorem recentis *rescripti Romani*, in forma commissoria, *pro foro sacramentali :*

« Sacra Poenitentiaria Tibi dilecto in Christo confessario, ex approbatis ab Ordinario loci per oratricem electo, facultatem concedit ipsam oratricem, si ita sit, audita prius ejus sacramentali confessione, a censuris et poenis ecclesiasticis, si quas ob praemissa quomodolibet

(1) M., 913.
(2) M., 913.

incurrerit, incestus reatibus et excessibus hujusmodi apostolica auctoritate hac vice absolvendi in forma Ecclesiae consueta, eidem, dummodò contracti matrimonii nullitas ex praemissis proveniens occulta omninò remaneat, nec aliud obstet canonicum impedimentum, attentis expositis, matrimonium hujusmodi, de speciali et expressa apostolica auctoritate in radice sanandi et convalidandi, prolem sive susceptam sive suscipiendam exindè legitimam enunciandi. Injuncta congrua poenitentia salutari aliisque injunctis de jure injungendis. Pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, ita ut hujusmodi gratia pro foro externo nullatenus ei suffragetur. Praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per te post executionem combustis. Datum Romae in S. Poenitentiaria.... ».

190[1]. **Nota** 1. Ad sanationem in radice praesupponitur consensus perseverantia. Non autem censetur revocari consensus maritalis eo quod aliqua pars ita est disposita ut, si sciret matrimonium esse nullum, vinculum disrumperet ; oporteret ut, cognita matrimonii nullitate, suam vindicaret libertatem.

2. Cum sacramentum suscipiatur momento quo matrimonium in radice sanatur, vel momento quo, extra casum sanationis in radice, novus consensus emittitur, curandum igitur est ut, in quantum prudenter fieri potest, partes illo momento versentur *in statu gratiae.*

191[2]. 3. Quando convalidandum est *matrimonium mixtum* (sive strictè dictum sive latè dictum), invalidè et simul (ob neglectas dispensationes et clausulas) illicitè celebratum, solent injungi, tam in sanatione in radice quam in dispensatione simplici, observandae cautelae supra, n. 81 et 82 descriptae, ac simul conceditur vel concedenda mandatur absolutio a censuris (n. 150) quotiescumque partes adierint ministrum acatholicum

(1) M., 914.
(2) M., 914.

qua talent. Attamen sperari licet, si mala disposito partis infidelis vel acatholicae ad id cogat, mitigatio ibidem descripta, quatenus *a S. Sede* impetrari possit impedimenti relaxatio et matrimonii convalidatio, licet pars acatholica renuat clausulas observare et sola benè disposita sit pars catholica ; quae mitigatio eo magis sperari potest quod agatur hic de convalidatione matrimonii contracti. Cf. rescriptum modò (n. 185) relatum in forma commissoria.

192[1]. **Scholion.** *Inscriptio matrimonii convalidati in registro.*

1° Convalidatione facta sive *absque dispensatione*, sive *ope dispensationis simplicis,* per renovationem consensus in forma can. 1094 :

a/ Si *publicè* facta est consensus renovatio, inseratur convalidatio in consueto registro matrimoniali, sive per mentionem convalidationis factam ad marginem prioris inscriptionis, sive per integrum actum matrimonialem, prouti prius matrimonium fuerit olim in registro inscriptum vel non.

b/ Si *secretò* iteratus est consensus, inseratur convalidatio, in modum matrimonii conscientiae, in registro secreto Cancellariae episcopalis, vel secretò conservetur mentio convalidationis (2).

193[3]. 2° Si convalidationi provisum est *per sanationem in radice :*

Si nullitas matrimonii *non est publice nota*, sive obtenta

(1) M., 915.

(2) Pariter inseratur convalidatio in registro secreto, quando, ad normam dictorum sub n. 167, coll. n. 188, renovatio consensus facta est privatim, convalidatione concessa in foro interno extrasacramentali.

(3) M., 915.

fuerit sanatio in forma fori externi, sive in forma fori interni non sacramentalis, cum clausula quod suffragetur in foro externo, secretò conservetur in Cancellaria episcopali documentum sanationis cum opportunis indicationibus. Cf. relatum rescriptum, ad n. 187.

Ubi nullitas est *publicè nota :* inseratur convalidationis mentio marginalis in consueto registro matrimoniali, si matrimonium olim celebratum fuit in facie Ecclesiae et in registro inscriptum; secus inscribatur integer convalidationis actus in registro matrimoniali, ac in Cancellaria episcopali conservetnr rescriptum sanationis et fulminationis.

APPENDIX I

DE DISPENSATIONIS NULLITER CONCESSAE SANATIONE

I. Quomodo dispensatio vitietur.

194[1]. Sufficit, pro praxi, attendere duplex vitium ex quo frequentius invalidari contingat dispensatio: quatenus nempe vel 1° novum innotescat impedimentum (2); vel quatenus 2° dispensationis auctor aut executor formam neglexerit essentialem in dispensando aut in dispensatione, sub forma commissoria concessa, fulminanda.

Hypothesi novi detecti impedimenti aequiparatur hypothesis erroris detecti in impedimenti natura aut gradu (3), necnon hypothesis impedimenti de novo contracti *ante* dispensationis gratiosae concessionem aut ante dispensationis in forma commissoria fulminationem (4).

---

(1) M., 916-923.

(2) Supponitur agi de impedimento cui applicatur regula de omibus impedimentis simul dispensandis, sub poena nullitatis: de qua suprà, sub n. 50 et 51.

(3) Attende tamen hîc dispositionem can. 1052, de qua suprà, sub n. 62, in nota.

(4) Nota dici: *ante* dispensationis concessionem vel fulminationem; quia si contrahitur *post* concessionem vel fulminationem, dispensatio inde non invalidatur et sufficit ut novum impedimentum removeatur. Cf. suprà, n. 52. Casus esset si ante vel post dispensationis concessionem aut fulminationem super consanguinitate, a sponso contrahitur publica honestas per concubinatum publicum instauratum cum filia vel matre sponsae.

II. QUOMODO DISPENSATIO SANETUR.

195[1]. A. **In priori hypothesi,** quod scil. invalida est dispensatio *ob novum detectum vel superviens impedimentum :* opus est *nova dispensatione.*

Quod autem spectat

196[2]. 1° **Forum** pro quo dispensatio est danda vel procuranda, attendantur normae sequentes:

a/ Ubi vitiata dispensatio fuit concessa *pro foro externo :* si innotescens vel superveniens impedimentum est fori externi, danda aut petenda est utriusque impedimenti (novi scil. et alterius nulliter dispensati) dispensatio in foro externo; si vero novum impedimentum est fori interni, super hoc est dispensandum pro foro interno, et pro hoc eodem foro convalidanda est vitiata dispensatio fori externi, utriusque impedimenti mentione facta in eadem supplica, juxta notata suprà, nn. 66 s.

b/ Ubi dispensatio nulliter data fuit *pro foro interno :* si novum impedimentum est fori interni, utriusque impedimenti dispensatio obtineatur in foro interno; si verò novum impedimentum est fori externi, super hoc impedimento est dispensandum in foro externo, et convalidanda est pro foro conscientiae utraque dispensatio, tum illa scil. quae fuit prius concessa in foro interno, tum haec nova dispensatio in foro externo nulliter data; duplex adeoque instituendus est recursus, unus pro foro externo, super novo impedimento publico, et alter pro foro interno, supplica oblata in qua utrumque impedimentum memoretur, et adhibitis cautelis, sub nn. 110 et

(1) M., 924.
(2) M., 925.

111, indicatis pro duplici recursu in foro externo simul et in foro interno.

c/ Ubi simul data aut impetrata fuit dispensatio super impedimento occulto *in foro interno* et super impedimento publico *in foro externo* : si novum impedimentum est occultum, super hoc est dispensandum in foro interno, et pro eodem foro convalidanda est utraque dispensatio nulliter concessa in foro interno et externo, trium impedimentorum mentione facta in eadem supplica. Quodsi novum impedimentum est publicum : dispensandum est pro foro externo super utroque impedimento publico ; insuper convalidanda est pro foro conscientiae dispensatio fori externi super utroque impedimento publico, mentione facta in supplica trium impedimentorum, salvis cautelis adhibendis in duplici recursu pro foro interno et externo, de quibus sub b/.

197(1). 2° Quoad quaestionem **a quonam** dispensari possit :

a/ **S. Sedes** sanare potest omnes dispensationes vitiatas, modò novum impedimentum innotescens aut superveniens soleat a S. Sede dispensari.

198(2). b/ **Ordinarius** potest, de novo dispensando, dispensationes convalidare nulliter concessas, etiam a S. Sede obtentas, quotiescumque momento, quo convalidanda est dispensatio, urget periculum mortis vel aliàs obtinet casus urgens, de quo sub n. 40, coll. n. 52, quodque alia non interveniunt impedimenta quam illa super quibus vidimus (n. 56 et 57) ab Ordinario posse dispensari in utroque illo casu. Ad norman autem can. 204, § 2, monenda esset S. Sedes.

(1) M., 926.
(2) M., 927.

199[1]. c/ **Sacerdoti** applicari posset, proportione servata, norma proposita pro Ordinario. Nimirum

1. *In periculo mortis*, deficiente tempore adeundi Ordinarium, posset *parochus* (vel sacerdos, in casu can. 1098) dispensationem convalidare, idque tam pro foro externo quam pro foro interno non-sacramentali, modò impedimenta dispensanda non excedant limites can. 1043, juxta dicta sub n. 41.

Iisdem in adjunctis, posset *confessarius*, pro foro interno sacramentali, convalidare dispensationem, in quantum impedimenta sunt solius fori interni.

2. *In casu urgenti,* pariter deficiente tempore adeundi Ordinarium, posset *parochus* (vel sacerdos) vel *confessarius* dispensationes respective convalidare, in quantiun sola obstant impedimenta fori interni.

. Pro sacerdote valet clausula can. 204, § 2, quatenus superior, cujus dispensatio ab inferiore est sanata, foret monendus.

200[2]. B. **In altera hypothesi,** qua vitiata est dispensatio *ex parte modi concedendi aut exequendi :*

Iteranda est dispensatio invalidè concessa vel invalidè fulminata, et quidem, ad mentem can. 59, § 1, ab illo iterari potest a quo invalido modo concessa est vel fulminata.

Hoc tamen attende quod potestas dispensandi vel dispensationem exequendi, concessa in ordine ad matrimonium *contrahendum*, non suffragatur ad dispensandum in ordine ad matrimonium *contractum convalidandum ;* unde non posset dispensatio, sic in ordine ad matrimonium contrahendum concessa et invalidè fulminata, iterum fulminari, si vitium dispensationis non detegatur nisi *post matrimonium contractum.*

(1) M., 928 s.
(2) M., 930.

APPENDIX II

DE OFFICIO PAROCHI CIRCA MATRIMONIUM CIVILE.

201 [1]. I. Fidelibus inculcet parochus matrimonium civile inter baptizatos non esse verum matrimonium, sed meram caeremoniam et puram formalitatem civilem, ad effectus civiles procurandos matrimonio coram Ecclesia celebrato ; eos proinde qui, neglecto matrimonio canonico et solis formalitatibus civilibus adimpletis, maritaliter vivunt, tractandos esse tanquam publicos concubinarios, ac coram Ecclesia infames enistere infamia facti (can. 2295, § 3), et qua tales ab actibus legitimis excludendos (can. 2294, § 2, coll. can. 2257, § 2).

II. Sciat parochus Ecclesiam graviter quidem improbare regimen matrimonii civilis, eam tamen ex toterantia permittere ut, ubi viget matrimonium civile obligatorium, ibidem formalitates civiles a fidelibus adimpleantur (2); item, in locis ubi existit anterioritas matrimonii civilis obligatoria, quemadmodum in Belgio, permittit ac imò suadet ut matrimonio canonico praemittantur formalitates civiles, et vult ut parochi *regulariter* ad nuptiarum celebrationem non admittant sponsos, de quibus non constat formalitatibus civilis matrimonii factum esse satis (3): monitis sponsis ut impletas formalitates civiles

---

(1) M., 461 s. et 456.

(2) Huc redeunt Belgicae formalitates, quatenus, praemissis publicationibus et dilatione legali, de quibus sub n. 203, matrimonium celebretur publicè, in domo communali, coram officiali civili competente et duobus testibus, alterutrius sexus.

(3) De matrimonio sic dicto civili certiorandus est parochus per scriptam attestationem officialis status civilis: quam schedulam parocho exhibere debent nupturientes.

quamprimum sequatur matrimonii celebratio coram Ecclesia.

Ratio cur Ecclesia velit regulariter observandas esse ac etiam praemittendas esse formalitates civiles, est quia, hisce neglectis, frustrantur matrimonia effectibus civilibus, signanter legitimatione prolium in foro civili (1); insuper conflictus provocatur cum lege civili et severae sanctiones poenales incurruntur, observationem legis anterioritatis urgentes (2).

202 (3). III. *Regulariter* proinde non potest parochus ad matrimonii celebrationem neque ad bannorum proclamationes procedere, quando obstant impedimenta civilia, nisi postquam dispensatione vel alio modo fuerint remota; nec potest regulariter matrimonio assistere antequam formalitatibus civilibus sit factum satis.

Impedimenta autem coram *Codice civili*, ad quae potissimùm attendendum, sunt

1° inter *dirimentia :* defectus aetatis requisitae (18 scil. annorum pro maribus et 15 annorum pro foeminis); pro filiis-familias aetatem 21 annorum nondum adeptis, defectus consensus parentum, vel (in parentum defectu) avorum, aut (horum defectu) consilii familiae; existentia

---

(1) Conjuges, qui civili vinculo non uniuntur, coram lege non adstringuntur ad maritale consortium, et facilius possunt, non renitente lege civili, ad adulterinam unionem transire; vir etiam legaliter non potest cogi ad alendam uxorem; proles possunt coram lege derelinqui et haereditate defraudari.

(2) Articulus 267 Codicis Poenalis Belgici comminatur contra sacerdotem (seu potius « le ministre du culte »), mulctam poenalem 50 ad 500 francorum, et addit : « En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra, en outre, être condamné à un emprisonnement de huit jours, à trois mois ». In poenae autem applicatione, potest a judice indulgeri beneficium condemnationis *conditionalis*.

(3) M., 462 et 478.

prioris vinculi civiliter validi ; consanguinitas in linea recta pro omni gradu et, in linea collaterali, pro primo gradu sive simplici mixto cum 2° vel 3io, juxta computum ecclesiasticum (1), necnon affinitas in linea recta pro omni gradu (2).

203(3). 2° inter *impedientia :* defectus actus reverentialis erga parentes pro filiis majorennibus ; omissio publicationum et dilationis legalis (4) ; oppositio legaliter instituta a jus habente ; prohibitio viduae facta novas nuptias ineundi ante finem decimi mensis inde a morte mariti ; necnon quaedam speciales prohibitiones pro militibus (5).

Dispensari autem potest a rege, per intermedium ministrum Justitiae, super aetate, et super consanguinitate

(1) Circa computum civilem, vide suprà, n. 7.

(2) Hucusque matrimonium dirimebat affinitas, etiam in linea collaterali, infra primum gradum ; et haec dispositio etiamnum servatur, sedcum hac notanda et momentosa restrictione, per legem 11 Febr. 1920 inducta, ut jam affinitas non constituat impedimentum « après le décès du conjoint qui la produisait ». Unde viduus jam non indiget dispensatione ut ducat sororem uxoris defunctae ; indigeret vero dispensatione vir divortio civili separatus ab uxore vivente, si hujus sororem ducere vellet.

(3) M., 479 et 480, coll. nn. 72 s.

(4) Pro matrimonii *publicatione*, « l'officier de l'état civil fait *une* publication *un jour de dimanche, à la porte de la maison commune*... .. dans le lieu du domicile ou de la résidence de chacun des époux » ; « *l'acte de publication reste affiché à la porte de la maison commune* ». Quod autem spectat *dilationem*, matrimonium celebrari non potest « *avant le dixième jour*, depuis et non compris celui de la publication ».

(5) Hucusque *officiales* (officiers) indigebant, ad matrimonium contrahendum, licentia regia, quae non potest concedi nisi ea lege quod, « indépendamment de la solde des officiers jusqu'au grade de capitaine inclusivement, les époux auront un revenu de 600 florins, aujourd'hui 1600 frs... Les sous-officiers et soldats ne peuvent se marier qu'avec le consentement par écrit de leur chef de corps. « ROLAND et WOUTERS, *Guide pratique de l'officier de l'état civil en Belgique*, Gand, 1902, n. 590 s. — Prior autem dispositio abrogata est per decretum regis, de die 24 Martii 1920, quatenus deinceps « il ne sera plus exigé de dot ni de garantie dotale en ce qui concerne le mariage des officiers et des assimilés ».

in linea collaterali, ultra primum gradum (1) ; a procuratore regio dispensatur super publicationibus et dilatione (2). Oppositio legalis removeri potest per sententiam judicis, seu per sic dictam *main-levée*.

204(3). IV. Dictum est (sub II et III) : *regulariter*, quia *exceptionaliter* potest ad matrimonii coram Ecclesia celebrationem procedi, antequam formalitatibus civilibus satisfactum est, aut quando, sive propter praesentiam impedimenti indispensabilis, sive propter aliam gravem rationem, adimpleri nequeunt dictae formalitates.

---

(1) Ante descriptam partialem abrogationem impedimenti exsurgentis ex affinitate in primo gradu lineae collateralis, in illo impedimento non dispensabat rex, nisi prius matrimonium fuerit morte *naturali* compartis dissolutum; etiam, juxta jurisprudentiam administrativam, a Ministro Van den Heuvel inductam, non dispensabatur cum *viduo*, super affinitate, nisi ea lege ut inter mortem prioris uxoris et novas nuptias spatium intercesserit sex mensium.

(2) En specimen libelli supplicis ab ipso sacerdote in favorem nupturientium offerendi, in casu periculi mortis, in quo tempus praesto est sufficiens ad implendas formalitates civiles :

« A Monsieur le Procureur du Roi à....

Le soussigné X (nom, prénom, profession, domicile) a l'honneur de vous exposer que le nommé A (nom, prénom, âge, lieu de naissance, domicile et résidence, qualité de majeur ou de mineur, filiation du futur époux) se propose de contracter mariage avec la nommée B (mêmes indications que pour le futur mari) devant l'officier de l'état civil de... ; que les publications et l'affichage, prescrits par les art. 1 et 2 de la loi du 26 Décembre 1891, n'ont pas été faits ; que d'autre part A (ou B) est en danger de mort, ainsi qu'il conste du certificat médical ci-joint, et qu'il y a donc lieu de craindre que, s'il fallait procéder aux formalités requises par les articles précités, le mariage projeté ne pourrait être célébré ; que A et B ont vécu maritalement jusqu'à ce jour et ont le plus grand intérêt à se marier en vue de régulariser leur union, et (ajouter s'il y a lieu) de légitimer un enfant (ou plusieurs) qui leur est né.

Pour ces motifs le soussigné Vous prie, Monsieur le Procureur du Roi, aux termes de l'article 7 de la loi du 26 Décembre 1891, de les dispenser de toute publication et de tout délai ».

Date et signature.

(3) M., 460, 462, 137 et 898.

Nimirum :

1° *De venia ipsius legis civilis Belgicae: in periculo mortis urgente*, quando nempe ita urget periculum ut meritò timeatur tempus deesse ad praemittendas formalitates civiles (1), licet, favore legis 3 Aug. 1909, celebrare matrimonium coram Ecclesia, absque praeviis formalitatibus civilibus (2); nec posteà, si moribundus convalescat, exsurgit obligatio adimplendi civiles praescriptiones (3).

205(4). 2° *Renitente lege civili : extra periculum mortis* vel *in periculo mortis non urgente*, quando, ex una parte, graviter urget necessitas matrimonium contrahendi, ad consulendum conscientiae vel legitimationi prolis, et, ex alia parte, matrimonio hic et nunc civiliter celebrando obstant impedimenta indispensabilia (puta dissensus parentum contra matrimonium minorennis aut existentia civilis vinculi conjugalis), vel gravissima rationis momenta suadent ut in foro civili non nubant partes : tunc pariter procedi potest ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia, non praemissis formalitatibus civilibus.

Quo casu parochus curet ut opportunae *cautelae* adhibeantur ad vitandas sanctiones poenales. Nimirum

---

(1) Opportunum est, licet id a lege non exigatur, ut per attestationem medici constare curetur de urgenti mortis periculo.

(2) Ex hypothesi supponitur temporis angustias non permittere ut ad formalitates civiles procedatur. Quodsi possint praemitti formalitates civiles, advocandus est officialis civilis ad periclitantem, ut coram ipso et duobus testibus emittatur consensus matrimonialis, praeviè obtenta, modo sub n. 203 descripto, procuratoris regii dispensatione super bannis et dilatione legali, non omissa etiam, si agatur de viduo vel vidua, authentica attestatione obitus prioris compartis.

(3) Licet lex civilis non urgeat ad matrimonii sic dicti civilis celebrationem in casu, hortandi tamen sunt conjuges convalescentes ut, ubi fieri potest, illarum formalitatum defectui supplere non omittant.

(4) M., *ibidem*, coll. n. 466.

a/ *in periculo mortis non urgente*, suppeditante scil. temporis copia ad implendas formalitates civiles, sollicitet parochus ab Ordinario (1) dispensationem super impedimento clandestinitatis, quatenus permittat ut consensus emittatur coram duobus testibus, absque praesentia sacerdotis (2);

b/ *extra periculum mortis:* vel celebretur matrimonium, de venia Ordinarii, in modum matrimonii conscientiae coram sacerdote, si fieri potest, extraneo et ignoto, a parocho loci ritè delegato, et duobus testibus familiaribus probatissimae fidei et secreto graviter adstrictis (3); vel recurratur ad S. Sedem, pro opportuno remedio (4); vel, si casus urgeat nec detur tempus adeundi S. Sedem, sollicitetur dispensatio super prae-

---

(1) Cf. suprà n. 57. Observa etiam parochum posse, in mortis periculo, dispensare super clandestinitate, uti vidimus sub nn. 39 et 41; sed id non valet nisi in quantum deest tempus recurrendi ad Ordinarium: quod tempus plerumque praesto erit in nostra hypothesi, in qua supponimus suppeditare temporis copiam ad praemittendas caeremonias civiles.

(2) Hac ratione efficaciter vitantur sanctiones poenales, utpote quae solum afficiunt ministrum cultus, non autem testes: qui testes ne uti coauctores quidem delicti puniri possunt, deficiente scil. auctore principali delicti.

(3) Licet, ad vitandas vexationes fori civilis, hujusmodi matrimonii celebratio, in quantum potest, occultanda sit, cautè tamen invigilare debet parochus ut scandalum praecaveatur et offensio populi: curando ut conjuges ad alias regiones discedant vel diversam domum occupent et clam conveniant, vel ut prudenter divulgetur illorum conditioni esse provisum coram auctoritate ecclesiastica, quin expressè dicatur illos matrimonium contraxisse.

(4) Hucusque uti probabilis, adeoque practice tuta, habebatur sententia docens matrimonium, favore articuli VIII Decreti *Ne temere* (seu can. 1098), validè et licitè celebrari, salvis quibusdam cautelis, coram duobus testibus et absque assistentia sacerdotis, quotiescumque haec praesentia lege civili prohibetur; ac dictae sententiae probabilitatem pluries vindicavimus, signanter apud *N. R. th.*, t. XLV (1913), pp. 133 ss. et 716 ss., ac t. XLVI (1914), pp. 469 ss.

sentia sacerdotis ab Ordinario, qui, vi can. 1045, § 1, dispensare potest, in dicto casu urgente, super clandestinitate (suprà, n. 57).

206. Scholion. Non semel continget, etiam extra casum matrimonii in extremis, quod zelosus parochus, si velit ad ineundum matrimonium adducere duos sponsos, putà libidinosè vel concubinariè inter se viventes, debeat eos adjuvare in procurandis sibi documentis et actis authenticis quae a lege civili exiguntur.

In hoc autem opere maximo adjutorio erit societas S. Francisci Regis (1) ; sed, si ad eam recurri nequit, operam suam personalem non denegabit parochus.

Porro haec sunt *acta requisita* (2) :

1° L'*acte de naissance* de chacun des époux, ou, à son défaut, un acte de notoriété, délivré par le juge de paix.

2° L'acte constatant *le consentement des ascendants* ou *du conseil de famille*, à moins que les parents appelés à consentir ne soient présents au mariage ; ou bien les actes constatant soit le décès soit l'absence des dits ascendants, soit l'impossibilité dans laquelle ils se trouvent de manifester leur volonté.

Cujus sententiae probabilitas non minus sustinetur, attento tenore can. 1098. Attamen, in praxi, ratio est habenda normae propositae a S. C. de Sacr., in decreto 31 Jan. 1916 (A. A. S., VIII, p. 36 s.), ubi S. Congr., intacta relicta, ut nobis videtur, probabilitate interpretationis theoreticae articuli VIII Decreti *Ne temere* ac canonis 1098, pro norma practica imponit recursum ad S. Sedem, in singulis casibus (A. A. S., VIII, p. 36 s.). Caeterum, attentis dictis sub hoc numero, in textu, saepe vitantur difficultates, ex conflictu legis anterioritatis oriri natae, recurrendo ad potestatem Ordinarii, ut dispenset, in casu urgenti, super clandestinitate.

(1) Sedem suam principalem, in Belgio, habet Bruxellis, Rue des Minimes, 39 ; secundarias autem sedes habet quatuor in dioecesi Brugensi, quotannis ad calcem calendarii assignatas.

(2) Cf. ROLAND et WOUTERS, *o. c.*, nn. 600-628.

Si les parents refusent leur consentement au futur époux agé de 21 ans accomplis, il faut produire le procès verbal *de l'acte respectueux*.

3° Les certificats délivrés par les officiers de l'état civil des différentes communes où *la publication du mariage* a dû être faite, certificats constatant que cette publication a eu lieu et qu'il n'existe pas d'opposition (1).

4° L'acte constatant le décès du premier conjoint ou le divorce, si l'un des futurs époux a déjà été marié.

5° Une expédition authentique *des dispenses d'âge*, de *parenté* (ou *d'alliance*), qui ont été accordées.

6° Le certificat *d'habitation* délivré par le bourgmestre ou le commissaire de police, constatant le domicile et la résidence de l'interessé. Quand l'officier de l'état civil connait les futurs, généralement il n'exige pas cette formalité.

Nota. S'il s'agit d'officiers de l'armée ou de militaires sous les armes, il faut les autorisations exigées par la loi. Pour tous les hommes agés de 19 à 20 ans, on exige le certificat constatant qu'ils ont satisfait à la loi sur la milice.

---

(1) S'il y a eu opposition, il faut produire l'acte ou le jugement portant main-levée de l'opposition.

APPENDIX III

§ 1. FORMULAE SUPPLICARUM PRO DISPENSATIONE

I. Pro foro externo.

A. In ordine ad matrimonium contrahendum.

1° *In recursu ad Ordinarium :*

a/ *super impedimento, in casu urgente:*

Form. 1 Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Antonius N., aetatis 30 annorum, viduus, parochiae N., et Antonia N., aetatis 26 annorum, coelebs, parochiana mea, matrimonium inter se inire exoptant. Nunc vero, postquam omnia parata sunt ad nuptias et in eo sunt nupturientes ut ad alienam regionem discedant, adeo ut matrimonium sine gravissimo incommodo nequeat differri usquedum a S. Sede impetrata fuerit dispensatio, innotuit impedimentum consanguinitatis, in tertio gradu aequali lineae collateralis, ut adnexum schema indicat (1). Quare humillème supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, et super eo impedimento, vi can 1045, § 1, cum ipsis dispensare dignetur.

Causae sunt : 1° aetas oratricis superadulta (2) ; 2° orator viduus et quatuor prolibus minorennibus oneratus adjutorio uxoris indiget. Testor orarores, orthodoxae fidei cultores, esse divites (3).

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., Parochus parochiae N.

Die... mensis... anni...

b/ *super voto non reservato.*

Form. 2 N. N., aetatis 30 annorum, coelebs, parochiae X, olim, aetatis decimum octavum annum nondum adepta, votum castitatis privatim

---

(1) Adnectatur arbor genealogica, juxta dicta ad n. 11.

(2) Addendum est, vi ordinationis dioecesanae Brugensis, *extractum baptismale.*

(3) Sufficit ut Ordinario sciat oratores non esse pauperes : ab omnibus scil. non pauperibus exigere potest aliquam praestationem, titulo expensarum Cancellariae. Cf. suprà, n. 68.

emisit (1). Nunc vero, ut conscientiae suae consulat, cupit matrimonium inire, Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super dicto voto, ci can. 1313, n. 1, cum ipsa dispensare dignetur.

Causa est : stimulis carnis exagitata, matrimonio indiget in remedium concupiscentiae.

Testor oratricem, orthodoxae fidei cultricem, esse pauperem.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die... mensis... anni... (2).

2° *In recursu ad S. Sedem :*

a/ *super consanguinitate vel affinitate :*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Josephus N., aetatis 35 annorum, viduus, parochiae X, et Magdalena N., 30 annorum, vidua, parochiana mea, matrimonio inter se copulari cupiunt. Obstat vero impedimentum affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, ex eo proveniens quod orator sit viduus ex sorore oratricis. Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super dicto impedimento dispensationem S. Sedis impetrare dignetur, necnon prólis natae vel nascendae legitimationem (3). *Form.* 3

Causae sunt : periculosa vitae conversatio ; sponsus duabus prolibus minorennibus gravatus uxoris indiget adjutorio, et oratrix ad eas proles educandas idonea dicitur.

Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, adeo pauperes ac mise-

---

(1) Descriptum votum non reservatur S. Sedi, uti vidimus sub. n. 42. Supponitur, in casu, facto publicum.

(2) Si Ordinarius super alio aliquo impedimento acceperit facultatem, extra casum urgentem, ad tramites Ordinariorum, de quibus sub n. 58, in nota, simili modo recursus instituatur.

(3) Nota legitimationis decretum non esse petendum nisi ubi ea opus fore praevidetur, adeoque ejus mentionem posse omitti ubi proles praevidetur nascenda post dispensationis fuiminationem : tunc legitimatur per subsequens matrimonium.

rabiles esse ut solo manuum labore vivant. Solvent tamen pro expensis 6 francos, quos apud me deposuerunt (1).

b/ *Super mixta religione :*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 4 Laetitia N., Romano-catholica, 25 annorum, parochiana mea, matrimonium inire cupitcum Francisco N., baptizato sed anglicanae haeresi addicto, et in errore hucusque pertinaci.

Quare humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super impedimento mixtae religionis dispensationem S. Sedis impetrare dignetur.

Causae sunt : 1° vani conatus ut oratrix matrimonio renuntiet; 2° fundata spes conversionis partis acatholicae ; 3° periculum matrimonii civilis.

De caetero ambae partes, catholica et acatholica, paratas sese exhibent ut clausulas adimpleant et cautelas praestent ab Ecclesia praescriptas, et ab Illustrissima Dominatione Vestra scripto exigendas; nec ullum serium subest motivum de eorum sinceritate dubitandi.

Pars catholica pro expensis apud me deposuit.... francos.

Cum summae venerationis sensu subscribo,

N., parochus in N.

Die... mensis... anni...

---

(1) Haec est supplica quasi-provisoria, qua accepta, Officialis conficiet supplicam propriè dictam, ad S. Sedem transmittendam, in hunc vel similem sensum :

Beatissime Pater,

Josephus N., ...annorum, viduus, et Magdalena N., coelebs, ...annorum, dioecesis Brugensis subditi, matrimonium inire confidentes, ad pedes S. V. humiliter provoluti, devotè implorant dispensationem super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequali, ex eo proviniente quod orator sit viduus ex sorore oratricis.

Causae sunt.... uti suprà.

Gustavus-Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, testatur oratores, dioeceseos Brugensis subditos, esse verè pauperes et miserabiles, ex sua industria et manuum labore viventes, ac nullius taxae esse capaces.

Nota. Quodsi oratores sunt quasi-pauperes vel divites, parochus in sua supplica testatur eos « hujusmodi esse fortunae ut ambo simul possideant.... in re et.... in spe ». Episcopus autem ex sua parte testatur « oratores, orthodoxae fidei cultores, taxae... francorum in totum esse capaces ».

B. In ordine ad matrimonium contractum convalidandum.

1° *In recursu ad Ordinarium, in casu urgente :*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Bernardus N., parochiae N., 30 annorum, et Maria N., 23 annorum, parochiana mea, praemissis de more publicationibus antenuptialibus, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt et successivè consummarunt. Innotuit vero impedimentum consanguinitatis in secundo gradu aequali collaterali, quemadmodum ex adnexo schemate liquet (1) ; non potest autem matrimonii convalidatio, absque gravis mali periculo, differri usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, siquidem pseudo-conjuges nec separari possunt, per tempus pro recursu Romano necessarium, nec, attenta nullitatis revelatione in parochia, simul cohabitare, absque populi christiani offensione, queunt. De caetéro parati sunt ambo renovare consensum in facie Ecclesiae. *Form. 5*

Quare cupientes matrimonium convalidari, humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super praefato impedimento, vi can. 1045, § 2, dispensare et prolem natam legitimare dignetur.

Causae sunt : 1° matrimonium bona fide contractum ; 2° formalitates civiles adimpletae ; 3° proles legitimanda.

Testor oratores.... (uti in *Form. 1*).

2° *In recursu ad S. Sedem :*

a/ *per viam simplicis dispensationis* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Frederlcus N., aetatis 40 annorum, et Frederica N., aetatis 35 annorum, parochiani mei, praemissis do more publicationibus antenuptialibus, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt et successive consummaverunt ; innotuit autem impedimentum affinitatis in secundo gradu lineae collateralis, ex eo proveniens quod vir viduus duxerat consobrinam germanam praesentis putatae uxoris, uti ex adnexo schemate liquet (2). *Form. 6*

---

(1) Connectenda arbor genealogica.

(2) Addendum est schema affinitatis.

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super memorato impedimento dispensationem S. Sedis impetrare dignetur.

Causae sunt....

Testor oratores.... uti suprà, Form. 3.

b/ *per viam sanationis in radice :*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 7 Franciscus N., aetatis 30 annorum, et Maria N., aetatis 28 annorum, parochiani mei, praemissis de more publicationibus quin detectum fuerit impedimentum, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide cum vero ac sincero utriusque consensu, qui asseritur adhuc perseverare, contraxerunt, ac successivè consummarunt, prole inde suscepta.

Obstat vero impedimentum publicum consanguinitatis in tertio aequali gradu collaterali, uti videre est in schemate adnexo.

Uterque contrahens a paucis diebus nullitatis matrimonii conscius existit, sed vir nullo modo ad renovandum consensum (per se vel per procuratorem) coram parocho et testibus adduci potest.

Quare oratrix Maria N., ad consulendum conscientiae suae, ac conjugem gratiarum matrimonii participem reddere prolemque legitimare cupiens, humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica procurare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,

N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

II. Pro foro interno :

A. In ordine ad matrimonium contrahendum

1° *In recursu ad Ordinarium :*

a/ *super impedimento fori interni seorsim :*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 8 Titius et Titia, dioecesis Brugensis subditi (1), inter se matrimonialiter conjungi cupiunt. Obstat vero impedimentum criminis, ex

(1) Non potest Episcopus directè dispensare nisi cum *subditis* ; ideo hoc est notandum.

adulterio cum fide data proveniens. Impedimentum est occultum nec timetur manifestandum ; omnia autem sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, usquedum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque scandali et nupturientium infamiae periculo, differri potest.

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut cum ipso, vi can 1045, § 1, dispensare dignetur.

Causae sunt 1° omnia ad nuptias parata ; 2° scandala gravia vitanda.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus (vel vicepastor) in N.

Die... mensis... anni... (1).

b) *in concursu cum impedimento fori externi* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, volentes inter se matrimonialiter cupulari, dispensationem obtinuerunt super impedimento consanguinitatis, in tertio aequali gradu collaterali. Jamvero in confessione innotuit impedimentum, omninò occultum et nullatenus manifestandum, criminis, absque machinatione, ex eo quod sponsi, adulterium adminerint et mutuò fidem dederunt de ineundo matrimonio. *Form. 9*

Quare, cum omnia sint ad nuptias parata, nec matrimonium, usquedum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali et sponsorum infamiae, differri queat, humillimè deprecatur Titia Illustrissimam Dominationem Vestram, ut, revalidando dispensationem super memorato impedimento publico obtentam, super isto quoque criminis impedimento dispensare dignetur.

Causa est : scandala est gravissima mala praecavenda.

Cum omni venerationis sensu,
N., confessarius in N.

Dei... mensis... anni...

---

(1) Si agatur de voto non reservato, super quo Ordinarius valet dispensare, etiam extra casum urgentem, recurratur ad modum, sub Form. 2 descriptum, invocato can. 1313, mutatis pro recursu in foro interno mutandis.

2° *In recursu ad S. Sedem* :

a/ *si supplicae confectio committitur Ordinario* :

1) *super impedimento occulto seorsim existente* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 10 Titia, dioecesis nostrae subdita, olim, decimum octavum aetatis annum adepta, votum perpetuae castitatis (vel ingrediendi religionem approbatam) emisit. Jamverò prudenter indicatur statum conjugalem, cujus opportuna occasio sese offert, ipsi futurum esse magis salutarem.

Quare humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut dispensationem Sanctae Sedis super praefato voto procurare ipsi dignetur, ad hoc ut matrimonium inire et debitum conjugale licite petere ac reddere valeat.

Causa est : 1° quod, nisi nubat, in certo periculo salutis versatur ; 2° quod ad negotia gerenda jam viro carere non potest ; 3° quod, quum sit pauperrima, hoc matrimonio melius vitae sine egestate transigendae consulit.

Cum summae venerationis sensu subscribo,

N., confessarius ecclesiae N.

Die... mensis... anni...

2) *in concursu cum impedimento publico* :

Illustrissime ac Revendissime Domine,

Form. 11 Titius et Titia dispensationem obtinuerunt super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis. Jamvero in confessione innotuit occultum impedimentum criminis.... ut in Form.9.

Quare recurrunt oratores, de praemissis dolentes, ad Illustrissimam Dominationem Vestram, humillimè rogantes ut super detecto impedimento criminis dispensationem simul ac dispensationis nulliter concessae convalidationem a S. Sede impetrare dignetur.

Causae sunt....

b/ *Si supplica conficitur ab ipso confessario* :

Eminentissime Domine,

Form. 12 Titius et Titia matrimonialiter ad invicem copulari cupiunt. Atvero contraxerunt impedimentum criminis, ex eo quod, vivente Titii uxore, adulterium inter se commiserint ac mutuò matrimonium promiserint,

post mortem dictae uxoris ineundum. Cum autem praefatum impedimentum occultum sit, et, nisi oratores nuptias ineant, periculum immineret scandalorum, ad hujusmodi scandala evitanda et pro suae conscientiae quiete, vehementer exoptant per Sedem Apostolicam absolvi secumque dispensari super contracto impedimento criminis. Quare E. V. enixis precibus oratores supplicant ut sibi de opportuno remedio providere faveat.

Dignetur E. V. executionem dispensationis committere confessario ex approbatis ab oratore eligendo, atque rescriptum dirigere ad infrascriptum E. V. humillimum famulum N. N., in civitate.... via....

B. In ordine ad matrimonium contractum convalidandum :

1° *Pro recursu ad Ordinarium :*

a/ *in casu urgente* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, morte, ex communi consilio et conspiratione, illata in uxorem legitimam oratoris, matrimonium inter se, praemissis de more publicationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt ac successive consummarunt. *Form. 13*

Cum autem dicti oratores, ob impedimentum, ex mortis machinatione, de qua plurimum dolent, proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeant absque dispensatione, cumque convalidatio, sine gravi incontinentiae periculo, differri nequeat, usquedum a S. Sede dispensatio impetretur, humillime supplicant Illustrissima Dominationi Vestrae, ut super dicto impedimento, vi can. 1045, § 2, dispensare dignetur.

b/ *extra casum urgentem, super crimine absque machinatione* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, aliàs, adhuc vivente prima oratoris uxore, se carnaliter cognoverunt, fidemque sibi invicem dederunt de matrimonio inter se contrahendo si dicta uxor praemoreretur ; qua deinde e vivis erepta, neutro tamen oratorum in ejus mortem machinante, matrimonium inter se, praemissis de more publicationibus, in facie Ecclesiae mala fide contraxerunt ac successive consummarunt. *Form. 14*

Cum autem dicti oratores, ob impedimentum ex praemissis, de quibus plurimum dolent, proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeant absque dispensatione, pro suae conscientiae quiete, humillimè recurrunt ad Illustrissimam Dominationem Vestram, ut cum ipsis super memorato impedimento, vi indulti apostolici, dispensare dignetur.

Causae sunt : gravissima scandala vitanda ; periculum concubinatus.

Cum omni...

2° *In recursu ad S. Sedem* :

a/ *per viam simplicis dispensationis* :

Form. 15

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Bertha, adhuc vivente prima oratoris uxore, se carnaliter cognoverunt, fideque sibi invicem data de matrimonio ineundo, si dicta uxor praemoreretur, intuitu matrimonii mortem intulerunt uxori Titii, effectu secuto ; qua eadem Titii uxore e vivis erepta, praefati oratores matrimonium, publicè ac praemissis publicationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt ac successive consummárunt.

Quare, de praemissis, quae occulta manent nec manifestanda timentur, quamplurimum dolentes, humillimè rogant Illustrissimam Vestram ut cum ipsis super memorato impedimento dispensationem apostolicam impetrare dignetur, ad hoc ut matrimonium sic nulliter initum convalidari valeat (1).

Causae sunt....

b/ *per viam sanationis in radice* :

Form. 16

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, cum vero et sincero Titiae consensu, qui asseritur adhuc perseverare, praemissis de more publicationibus, matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt ac successivé consummarunt. Jamvero hoc matrimonium invalidum est ob impedimentum (omnino occultum ac nullatenus manifestandum) criminis, ex adulterio cum fide data proveniens.

---

(1) Mutentur, juxta specimen propositum in *Form. 11*, mutanda in casu quo ab ipso confessario conficitur supplica. Quod idem valet pro *Form. 16*.

Nunc vero Titia oratrix, de praemissis quamplurimum dolens, pro suae conscientiae quiete matrimonium convalidare cupit, dum Titius pseudo-conjux impedimenti conscius consensum renovare renuit.

Quare, optans in gratiam Dei redire et numerosam sobolem legitimare, humillime deprecatur oratrix Illustrissimam Dominationem Vestram, ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica impetrare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., cônfessarius in N.

Dei... mensis... anni ..

§ 2. FORMULAE PRO IMPETRANDA DISPENSATIONIS SANATIONE

A. Pro foro externo.

1° *In recursu ad Ordinarium* :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Jacobus N., et Anna N., parochiani mei, in eo sunt ut nuptialiter copulentur, dispensatione S. Sedis ab Illustrissima Dominatione Vestra procurata et fulminata super impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis aequalis. Atvero bona fide reticitum est in instantia consanguinitatem fuisse duplicem, omissa mentione consanguinitatis in secundo gradu aequali, uti videre est in schemate adnexo. *Form. 17*

Quare, attenta casus urgentia, quatenus omnia parata sunt ad nuptias nec matrimonium, sine probabili gravi mali periculo, differri potest usquedum a S. Sede convalidatio obtineatur, humillime supplicant Illustrissimae Domnationi Vestrae ut revalidationem obtentae dispensationis concedere dignetur (1).

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die... mensis... anni...

---

(1) Cf. can. 1052 — Si agatur de alio impedimento defectuosè expresso, mutentur mutanda.

2° *In recursu ad S. Sedem.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 18 Bernardus N., et Elisabeth N., parochiani mei, matrimonium inituri, dispensationem apostolicam obtinuerunt super consanguinitate in primo mixto cum secundo gradu lineae collateralis. Ast innotuit obstare impedimentum cognationis spiritualis, ex eo quod orator oratricem ex fontibus levaverit ; quod impedimentum bona fide fuit reticitum.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut dispensationis convalidationem simul ac dispensationem super cognatione spirituali a S. Sede impetrare dignetur.

Causae sunt :... etc.

Cum summae venerationis sensu subscribo,

N., parochus in N.

Die... mensis... anni...

B. Pro foro interno.

In recursu ad Ordinarium :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Form. 19 Titius et Titia dispensationem a S. Sede impetrarunt ab impedimento occulto criminis, neutro machinante, oriente ex adulterio et fide data tantum. Innotuit autem non tantum adulterio accessisse promissionem mutuam de matrimonio post mortem uxoris Titii ineundo, sed etiam facto occultam machinationem mortis, quatenus Titius orator, intuitu matrimonii cum Titia, mortem intulerit uxori suae, effectu secuto.

Cum autem casus sit urgens, siquidem omnia parata sunt ad nuptias, nec potest, absque gravis mali periculo, matrimonium differri usquedum recursus ad S. Sedem instituatur, Titius et Titia, de crimine multum dolentes, supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut dispensationis sanationem simul ac dispensationem super noviter detecto impedimento concedere dignetur (1).

---

(1) Si casus non est urgens, adeunda est S. Sedes, petendo ab Ordinario, ut dictam convalidationem ac dispensationem a Sede Apostolica impetrare dignetur.

§ 3. ALIAE FORMULAE VARIAE

1° *Formula notitiae matrimonialis transmittendae.*

Rever. Domine Pastor,

Reverentiam vestram certiorem facio N. N., aetatis...., filium (filiam) N. N., et N. N., in parochia tua..., die..., mensis..., anni..., baptizatum (baptizatam), coram me infrascripto (vel R. D.., a me specialiter delegato) et duobus testibus N. N., et N. N., die..., mensis..., 19..., legitimè contraxisse matrimonium cum N. N., filia (filio) N. N. Quod matrimonium dignetur Reverentia Vestra in baptismi librum referre.

Veneranter subscribo,
N., parochus in N.

X..., die..., mensis..., anni... (sigillum parochiale).

1° *Formula ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagi.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Theresia N., parochiana mea, nuptias ambit ineundas cum Leonardo N., ex dioecesi N. oriundo, nunc autem incertas sedes habente nec ullibi domicilium vel mensilem commorationem retinente.

Diligenti facta inquisitione, nihil potui reperire quod sponsi libertati obstet nec parentes dissentiunt.

Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae supplico, ut mihi quid facto opus sit significare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die... mensis... anni...

Brugis, typis Camilli Houdmont-Cortvriendt, via dicta Gruuthuuse, 2.

8973 348.412.7 S52
De Smet, Aloysio
AUTHOR
Praxis Matrimonialiis
TITLE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY